



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

De S. Gummaro Confessore Liræ in Brabantia Commentarius Prævius

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)

AUCTORE
C. B.

ad rem nostram? S. Matthæi apostoli et Euangelistæ corpore anno 954, uti in Opere nostro ad XXI Septembris diem in Commentario, Sancti illius Actis præmisso, § v docuimus, e civitate Pestana Salernum fuit translatum. Quod si itaque de S. Matthæi corpore, Salernum translato, intelligenda sit dicta S. Grammatii prædictio, hæcque vere abs hoc Sancto nostro, morti jam proximo, fuerit prolata, necessarium, ut apparet, erit, ut hæc non multa tempora ante corporis S. Matthæi Salernum translationem seu annum, quo hæc e jam dictis facta, 954 ac proin vel sec. x inchoato vel haud multo citius accidisse statuatur.

etsi forte aliter quam velint, intelligendam Grammatioque haud attribuentur,

13 Verum, cum Grammatius haud expresse, contra ac in ejus elogio Ferrarius, Muscæ verbis perperam mulatis, hodie insinuat, Salernitanam ecclesiam S. Matthæi corpore decorandam, prænuntiari, merito sane, anne de hoc Salernum translato recte intellecta postea fuerit ac porro debeat intelligi Sancti nostri, de qua hic loquimur, prædictio, revocari potest in dubium. Quid si enim, cum obscuriori modo, quæ futura prænuntiatur, explicari plerumque soleant, per cælestem thesaurum, quo ecclesiam Salernitanam decorandam Grammatius prædixerit, intellectus fuerit Gaudiosus, præclare gestis, sanctitate et miraculis plane eximius episcopus, quid haud longo admodum post Grammatii obitum tempore Salernitanis ad gubernandam eorum ecclesiam cælesti munere fuerit concessus? Adhæc cum ista Grammatio attributa prædictio primitus ex ecclesiæ Salernitanæ Breviario, uti e supra dictis nemo non facile colliget, sit hausta, nec particularium ecclesiarum Breviaria fidem integram in iis, quæ narrant, ubique mereantur, merito pariter, an prædictio

illa vere a Grammatio fuerit prolata, revocari D potest in dubium, maxime cum supra assignatus, quem Musca in sæv antiquis sanctitate illustribus ecclesiæ Salernitanæ episcopis recensendis est secutus nosque e jam dictis amplectimur, ordo exposcat, ut Grammatius, qui hosce inter ante Gaudiosum, certo ante annum 800, uti e supra dictis pronum est eruere, vita functum, recensetur, vitam hanc mortalem cum immortalitate ante eundem unum 800 certeque adeo ante seculum IX et X, contra ac memorata prædictio, si locum umquam habuit ac, ut plerique volunt, debet intelligi, exigere e jam supra dictis videtur, commutasse credatur.

14 Attamen cum subinde veluti brevi futura, quæ non nisi diu post accidere, a Sanctis fuerint prædicta, ac proin, de qua hic agimus, S. Grammatii prædictio haud esset, etsi etiam, ut passim adstruitur, de corporis S. Matthæi Salernum translatione foret intelligenda, nec hæc prius quam cum ducenti circiter, postquam prænunciata fuisset, anni essent elapsi, fuisset peracta, a veritate dicenda aliena, hinc ego eam, quæ, quamvis e dictis certo haud debeat, haud inepte tamen potest de corporis S. Matthæi Salernum translatione exponi, haudquaquam ut certo falsam fictitaneve rejiciendam putans, Sancti nostri obitum, qui ob jam dicta nec in IX, nec in X sec. potest differri, ad VIII potius, quam ad aliud anterius seculum, ut is equidem tam parum, quam fieri possit, a Matthæi, quæ, quemadmodum dicta prædictio fert, haud admodum diu post S. Grammatii mortem acciderit, translatione removeatur, referendum existimo, etsi interim, anne vere tum Sanctus obierit, sit admodum, uti ex omnibus jam dictis nemo non colliget, incertum.

prædictionem ad VIII potius, quam ad aliud anterius seculum referendus videtur

DE S. GUMMARO CONFESSORE

LIRÆ IN BRABANTIA

J. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

C

§ I. Theobaldi, S. Gumhari biographi, ætas : Acta ab illo conscripta : præcipua Sancti gesta paucis perstricta.

SEC. VIII BENEFICENTIA. S. Gumhari, cui Lira suam debet originem,

Lira præclarum pariter et amœnum Brabantia, qua hæc Campiniam respicit, ad amnem Netham oppidum S. Gummaro, in cuius prædio condi seculo VIII cæpta est, non modo suam debet originem, sed et eam, ad quam paulatim excrevit, amplitudinem. Primum quidem hoc oppidum, teste Theobaldo, Sancti biographo, ex quo nimirum S. Gummarus, cæsis arboribus dumetisque, lætiores loco fecunditatem attulit, Nivesdonch, seu (quod idem valere arbitror) Nieuwdonck dictum fuit, deinde Ledo vel Ledi, quo posteriore nomine in divisione regni Lotharii, anno seculi IX septuagesimo facta, insignitum est, ac Carolo Calvo, Franciæ regi, uti et vicina Mechlinia, cessit; denique Lira, Belgice Lier, Respl-

lendis variis istorum nominum etymologiis, quibus parum ponderis momentique inest, supersedeo: non displicet tamen, si quis, vocem antiquam Ledi seu Ledo in hodiernam Lier migrasse, dixerit, ad eum modum, quo castrum Leda vel Ledi in Cenomanis dictum est vernacule Château-sur-Loir, uti ex Sirmondi in Goffridi abbatis Vindocinensis Epistolam XIV Annotatis Gottefridus Wendelinus de Natali legum Salicarum solo cap. XVI observat: asserenti porro Wendelino, Leodardos, Leudardos, Leudos, Leudiniam, Lidio, quorum in legibus Salicis abs illo editis frequens mentio fit, fuisse oppidum Liranum, adiacere calculum nequeo, quod leges Salicæ, quas Theodoricus, Francorum rex, auccit, Hildebertus correxit

A correxit, Clotarius, anno 561 defunctus, ut ipse Wendelinus ex Heroldo, Heroldus vero ex Isidoro scribit, tandem perfecit, Lirani oppidi ortum, si qua fides Theobaldo est, dudum antecesserint.

scriptor nullus
Balderico anti-
quior memi-
nit:

2 Monumentum, quod S. Gummari mentionem faciat, nullum inveni Chronico Camera-censi Balderici, qui seculo XI scripsit, antiquius, nisi quis S. Gummarum in Præcepto Caroli Magni, quo Laurisheimensi Ordinis S. Benedicti monasterio possessiones quasdam adversus Heimericum comitem vindicavit, memorari forte contenderit, utpote anno 776 Heristalii, ad sinistram Mosæ ripam infra Leodium, unde natale S. Gummari solum haud procul aberat, dato, et in quo inter Caroli Magni vassos seu familiares post comites Gunthmarus quidam recensitus legitur. Pauca hæc de Sancto nostro Balderico prædit lib. 2, cap. 48: Nec procul hinc (Maslinas seu Mechlinia) est monasterium canonicorum, quod ex propriis prædiis viri Dei Gunthmarus, illustris laicus, struxit, ibique sepultus diem resurrectionis exspectat. Balderico ætate proximus est Theobaldus, qui geminam S. Gummarum Vitam, alteram soluta oratione, alteram metro, Sigeri, præpositi Lirani, rogatu primus conscripsit: neque enim, quod Henschenius noster opinatus est, ex eoque Jacobus le Roy, S. R. I. Baro lib. 2, cap. 16 Notitiæ Marchionatus ad verbum exscripsit, ulla ante Theobaldum extitit S. Gummarum Vita: ipsissima utriusque scriptoris verba sunt: Extitit Vita S. Gummarum « stylo veteri » qui « videbatur rusticari » uti asserit Theobaldus in Prologo Vitæ, a se simpliciter stylo emendatus scriptæ, et metricis etiam versibus expositæ, quam inscripsit Sigerus Lirensi Præposito: ansam errori dedit, quod pro stylo veterem, Henschenius legerit stylo veterem.

Theobaldus,
cujus ætas, ut-
cumque deter-
minatur,

3 Multum se torsit Henschenius, ut aut Sigeri, Lirani præpositi, aut Theobaldi ætatem alicunde erueret; ac tandem ex probabili conjectura sibi visus est posse asserere ob rationes, a Domino Barone le Roy loco citato expressas, S. Guilielmi, Guilielmarum parentis, de quo ad diem x Februarii egerat, et S. Gummarum Vitam ab uno eodemque Theobaldo, non episcopo, sed monacho vel canonico regulari fuisse conscriptas; vixisse vero Theobaldum sub finem seculi XIII, aut seculo XIV, si non serius. Henricus Schynckele, collegii Lirani anno 1771 rector, collegæ meo Cornelio Byæo Vitam S. Gummarum soluta oratione conscriptam exhibuit, ad cujus calcem hæc verba legebantur: Hactenus Theobaldus, canonicus Regularis Ordinis S. Augustini in Rubea-valle, quæ cum anno demum 1373 initium sumpserit, a seculo VIII, quo S. Gummarus fuit, ad Theobaldi tempora sex secula aut plus eo, effluvisse, necesse esset, si vera sint, quæ illic Theobaldi lucubrationi subnectuntur. Ego vero de Theobaldi ætate ita statuendum existimo, ut quidem post Baldericum scripserit, sed non serius seculo XII media sui parte elapso; primum vel ideo opinor, quod Theobaldus voce recentiori Gummarus perpetuo utatur; contra Baldericus voce Gunthmarus, quæ ipsomet S. Gummarum ævo in usu fuit, ut ex diplomate numero superiore laudato manifeste conficitur: alterum vero, quod Theobaldus Sigerus præposito æqualis fuerit; præpositura vero Lirensis Octobris Tomus V.

jam inde a seculo XII in Francone desierit, uti colligere est ex Lirensium decanorum serie in Theatro sacro Brabantiae tom. 2, pag. 167 hoc modo disposita: Sigerus præpositus anno.... Franco præpositus anno.... Lambertus decanus anno 1147. Balduinus Souverheydt decanus anno 1224 etc.

4 Franconem præpositi, Lambertum vero decani titulo et quidem uno eodemque tempore garisos fuisse, etiam ex Henrici, Godefridi tertii, Brabantiae ducis filii, litteris apud Miræum Notitiæ ecclesiarum Belgii anno 1630 editæ, cap. 172 litteris liquet; ut adeo præpositorum Lirensium seriem Franco clausurit: num Sigerus proximè successerit, necne, nihil magnopere interest: eo enim Theobaldus a rebus gestis, quas prodit, utcumque sese res habeat, temporis intervallo disjungitur, ut vel ex hoc solo capite indubitatum apud prudentiores fidem non sit reperiturus, eoque maxime, quod, antiquiore se duce destitutus, quem sequeretur, habuerit neminem, præter unicam, quæ res gestas, miraculaque imprimis, vel fingere, vel exaggerare non raro solet, populi vocem: quod ipsemet, prout infra suis annolabitur locis, subinde prodidit Theobaldus. Acta vitæ et translationis S. Gummarum abs illo scripta habemus gemina, altera in capita septemdecim divisa, altera in lectiones die festo S. Gummarum, per octavam, et die translationis ad Matutinum recitari solitas: hæc ex Ms. codice ecclesie Lirani transcripta sunt, variisque additamentis, divinum officium recitantium pietati quidem accomodatis, sed ad rem historicam nihil facientibus aucta, et aliqua præterea sui parte mutila: quapropter priora, sed cum posterioribus collata, hic prolo subiicienda censuimus. Edita quidem ea sunt a Surto, sed mutato nonnihil stilo: item in Legenda Coloniae et Lovanii anno 1483 et 1485 eccusa; sed utrobique absque Prologo, quem ex Ms. codice cœnobii Corsendoncani prope Tournohoutum, seu circiter leucis Belgicis Lira distantis, exhibemus. Vitam metricam, ad quam Prologus ille spectat ab eodem Theobaldo scriptam, in qua vix quidquam est, quod in prosaica non reperias, prolo committere, non putavimus operæ pretium. Fas tamen nobis haud esse duaximus omittere Miraculorum sub annum 1475 patratorem Historiam ab auctore, si non æquali, certe suppari litteris consignatam, quod cum ad illustrandam S. Gummarum gloriam, tum ad fovendam fidei erga eundem ceterosque mortalium in cælis Patronos pietatem facere, quod optamus, quamplurimum possit. Nunc præcipua rerum capita, quas de S. Gummaro Theobaldus narrat, quoniam eo antiquiorem non habemus, dispiciamus: in Annotatis dicentur cetera, ubi usus factus fuerit.

5 S. Gummarum Theobaldus generosa stirpe exortum ait; illustrem laicum Baldericus vocat: satis id quibusdam recentioribus visum est, ut e Carolidarum, seu ex eadem, qua natus est Pippinus Brevis, primus hujus nominis Francorum rex, stirpe prognatum dicerent, ut scriptor Historiæ Miraculorum, de quibus supra, in Epilogo, et auctor Florarii nostri Ms. ad diem xi Octobris faciunt: sed, cum nullum dicti sui testem afferant, denegari illis hæc in re fides absque injuria potest.

AUCTORE
J. B.

Vitam, hic
edendam, scri-
psit.

E

F

F

Natus nobili
quidem, non
tamen regio
stemmate, æc.
viii non admo-
dum provecio,
in pago Em-
blehem,

AUCTORE
J. B.

De loco natali consentiunt omnes : fuit is pagus Emblehem, milliari Belgico circiter uno Lira distans, ad deatram Nethæ Minoris, modo in diocesi Antverpiensi et provincia Renensi seu Riensi, vulgo het lant van Ryen, situs : de anno, quo editus in lucem fuit, haud ita convenit : neque est, unde illum certo et exacte determines. Id unum hanc in rem Theobaldus asserit, in aula Pippini regis, exacta nempe pueritia, fuisse versatum, ejusque jussu accepisse uxorem ; ex quo apparet, eum ætatis non admodum proæctæ fuisse, cum ad aulam accessit Pippini regis, qui anno, ut melioris notæ Chronica testantur, 752 ad regiam dignitatem e Childeberti, Francorum regis, majore-domus fuit ecectus : quæ, quantum opinor, ratio fuit, cur recentior anonymus in Vita S. Gummari, idiomate Flandrico conscripta, natalitatem ejus anno 725 illigavit. Laudato mox anonymo fere consentit Bailletus, S. Gummaram natum scribens, cum Carolus Martellus, Pippini regis pater, palatii præfectum egit, quo munere apud Austrasios ab anno 712 usque ad annum 742 functus est. Natum anno 700, Judocus Kegelius, Lirensis canonicus, memorato mox anonymo paulo antiquior, tradit in Vita Sancti anno 1644 typis Antverpiensibus edita : neuter forte verum attingit : sed Theobaldo conformior videtur opinio prior, nisi quis Theobaldi verba ad Pippinum Heristallum, Caroli Martelli patrem, detorqueere voluerit.

quam a teneris
hauserat,

6 Quæ fuerit a cunabulis S. Gummari indoles, Theobaldus sic primum quidem universim exponit : Qui sanctis pollens exordiis, sanctioribus vero postmodum insistentis studiis sanctissimo fine vitæ cursum consummavit. Nam a cunabulis mancipatus Deo, tantum præficebat virtutibus et fide, quantum crescebat corpore et ætate. Tum vero speciatim : Avertens quidem se a vanitate et ludis, animo suspirabat ad cælum : illic patriam et patrem sibi esse affirmans. Quid vero multum de principio sanctitatis ejus dicam ? Lenis erat in sermone, constans in bono opere, humilitate submissus, pietate profusus. In jejuniis et vigiliis castigato carnis, eleemosynarum largitor dapsilis, id est, largus et liberalis. Auctor Vita Latinæ S. Fredegandi abbatis, Theobaldo recentior, tom. 4 Julii pag. 295 ait, S. Gummaram sub Pippino, Francorum Orientalium duce circa annum 700 (obit Pippinus, nempe Heristallus, anno 714) militantem a S. Fredegando arcessitum fuisse, quod ille ex proprio verosimiliter penu deprompsit, eos imitatus, qui in rebus obscuris quidvis comminisci sibi licitum putant : nec proinde est, cur cogamur a Theobaldo recedere. Addit idem anonymus, S. Fredegandum fuisse cum SS. Rumoldo et Gummaro sæpissime conversatum, cujusmodi nihil in horum Actis occurrit.

etiam in aula
pietatem ser-
vavit :

7 Christiana itaque a teneris unguiculis pietate imbutum, ut seculi vanitatis osorem, parentes tamen ad aulam Pippini regis, cum jam utcumque adolesceret, deducunt : anno ætatis suæ 26, Zachariæ Papæ quinto, coronatoque abs illo in regem Francorum Pippino, inquit Kegelius cap. 3; sed oblitus, sese paulo ante S. Gummari ortum cum anno 700 copulasse, nescitque annum Zachariæ incidisse in annum Christi 745; Pippinum vero in regem Francorum a S. Bonifacio, archiepiscopo Moguntino, fuisse coronatum anno

752, aut proxime superiori. Quam inierat D
Gummarus in paternis laribus vitæ rationem in aula constanter retinuit, atque ita se gessit, ut brevi magna prefectura honoratus fuerit, inquit Theobaldus num. 2 : at qualis ea fuerit, divinandum reliquit. Totius Riensis tractus jure feudi a patris obitu eum dominum fuisse, scribunt biographi recentiores supra laudati, nullo antiquitatis monumento fulti : certum autem aliunde est, Rohingum, virum præpotentem in tractu Riensi multa eadem tempestate possedisse, uti ex donationibus ab ipso S. Willebrordo, quarum diplomata apud Miræum aliosque videre est, factis constat. Tractus Riensis Dynastam eum vocarunt Bollandus et Henschenius, cum Gaspari Nemio, archiepiscopo Cameracensi, tomum 2 Februarii dedicarunt ; non quod illius tractus Dominus fuerit, sed quod in eo multa lautique possederit prædia opibusque valeret. Nec Bollandus, nec Henschenius Rohingum aut ejus donationes ignoravit : imo vero Henschenius non modo Rohingum eodem tom. pag. 820, num. 4 Antverpiensium principem, in indice vero historico Anverpiæ Dominum appellat, sed ejusdem etiam diplomata laudat ; unde consequitur, Baronem le Roy, dum in Notitia Marchionatus sacri imperii pag. 148 illos, quod S. Gummaram nominarunt tractus Riensis Dynastam, carpsit, aliter eorum verba, atque abs illis dicta sunt, accepisse.

8 Ab eadem, quam a teneris unguiculis imberat, pietate profectum est, ut, licet inter aulæ illecebras deliciasque versantem, nulla ineundarum nuptiarum libido incesserit ; ad quas tamen principis sui jussu compulsus est. Obligit illi uxor, mulier imperiosa, avara, immittis et pervicax. Apographum nostrum Grimmaram nominat : alibi Guimaria, Grimmaria vel Guinmaria dicitur. Non inusitatum fuisse id seculo VIII apud Belgas nomen, ex Actis SS. Herindis et Renildis, seculo nono scriptis, colligo, in quibus (vide tom. 3 Martii pag. 386 et seq.) illarum matrem Grinnaram, Grinnaram vel Grumiam appellatam reperio : unde Grimmaram, S. Gummari uxorem, in Belgio verosimillime natam, haud difficulter admisero : at vero Pippini neptem fuisse, quod Kegelius alteraque Vita S. Gummari scriptor anonymus asserunt, non item : ejusdem generis commentum arbitror esse, quod de Grimmara, tandem Deo vindice, telluris hiatu absorpta tradunt, licet palustrem puteum, in quo, corpore nusquam invento, demersam credunt, teste Gramayo lib. 2 de Antverpia cap. 6, ostendant indigenæ. Has porro S. Gummari cum Grimmara nuptias post annorum aliquot intervallum, si nempe non ad Pippini Heristalli, sed Pippini Brevis aulam a parentibus adhuc juvenis ductus fuerit, expeditiones militares, quas verbo tantum attigisse satis Theobaldo fuit ; sed plus æquo exornare ex arbitrio magis suo, quam ex vero recentiores ejus vitæ scriptores voluere, exceperunt.

9 Ex quo Pippinus ad regium fastigium erectus est, seu ab anno 752 ad obitum usque, qui anno 768 accidit, bella gessit fere continua ; primum adversus Saracenos, quos Narbona expulit ; dein adversus Saxones, tum adversus Aistulphum, Longobardorum in Italia regem : denique adversus Waifarum, Aquitaniam

et Pippini ca-
stra

A Aquitanie ducem, quod quidem bellum, anno 760 inchoatum, non nisi 768 finem accepit. Novem porro annis (alibi legitur septem) uti Theobaldus scribit, domo S. Gummarus abfuit: quos ita disponit Bailletus, ut ab anno 755 ad annum 762, id est, bello Italico, Saonico anni 758, ac Aquitanico jam tertium resumpto, in Pippini castris S. Gummarus fuerit. Bello Saraceno, Italico et Aquitano illum interfuisse, imo et a rege secundum praefuisse, scribit recentior ejus biographus: miraberis equidem incidere Pippino potuisse, ut rei bellicae summam homini, qui soli hactenus pietati vacaverat, nec unquam arma triverat, committeret: verum mirari, ut id desinas, ait, eo Pippinum, nocturna Zachariae Papae (obit prius Zacharias, quam Pippinus rex Francorum coronatus fuerit) visione et triplici angeli admonitione, sibimet facta, fuisse permotum. Apage succenturiatam fabulae fabulam.

annos aliquot
ecentus.

B 10 Quod vero ad ceram, qua ad bellum S. Gummarus profectus sit, epocham attinet, quis eam certo determinet? Si autem conjecturis hic uti liceat, ac Theobaldi, quo potiore ducem non habemus, stare verbis libeat, illam neque bello Saraceno, neque Italico, sed uni Aquitano, anno 760 cepto, probabilis innotendam existimo. Contractis enim sub annum 752 cum Grimmara nuptiis, Emblehem ex aula Pippini una cum uxore S. Gummarus rediit, annorumque aliquot lapsu, quo esset in familiam suam iniqua mulier animo, didicit; hinc sollicita illa abeuntis Gummari admonitio, ut suos benigne humaniterque, se absente, haberet: hinc item e bello rediit, nusquam alio, quam in Emblehem se contulit, ut uxorem familiamque reviseret. Cum porro annos novem domo abfuisse Gummarum, Theobaldus scribat, totidemque praecise annis bellum protractum fuerit Aquitanum, huc dignum, cum noventaenalem S. Gummari absentiam asseruit, intendisse Theobaldum, non admodum mihi apparet a verisimilitudine alienum.

ad suos redit,
conditque SS.
Petro et Paulo
ade sacra.

11 Irrita fuere, quibus ad bellum profecturus uxorem instruxerat, monita, eoque confecto, eo primum curas intendit, ut turbalam Grimmarae immanitate odioque familiam pristinae tranquillitati restitueret. Ceterum se totum Christianae pietatis exercitationibus dedit: Romanum iter, ut SS. Apostolorum Petri et Pauli limina viseret, meditatus est; sed, mutato consilio, ex angeli monitu, ut Theobaldus scribit, seu, quod verius puto, divino suggerente Numine, eamquam iisdem Apostolis ecclesiam condidit, milliari circiter uno a vicio Emblehem dissitam, eo, quo nunc Liranum oppidum situm est, loco; de qua ecclesiola ita Theobaldus in Vita ejusdem metrica cecinit:

Moles basilicae, quam Sanctus fecerat iste,
Structura lapidum minime surgebat in altum,

Ligna sed modicis constabat fabrica tignis.
Monasterium item canonicorum construxisse diserte tradit Baldericus num. 2 laudatus, quod monachorum prius, dein autem canonicorum, nimirum secularium, fuisse, nonnulli, nescio, quo solido argumento, contendunt: neque enim quidpiam aut apud Baldericum, aut apud Theobaldum, alibice reperi, quod me in istam concedere sententiam cogat. Bal-

dericus quidem utitur voce monasterium: sed id nominis tum canonicorum collegiis, tum monachorum claustris fuisse olim commune, notius est, quam ut pluribus ostendi debeat: sufficet hanc in rem vel unicum cap. 30. lib. 2 apud Baldericum proferre, quod ita habet: Id castro Valentianensi monasterium est canonicorum, quod Arnulfus comes, consilio et auctoritate Rothardi, in honore S. Johannis Baptistae construxit, rebusque pro opportunitate collatis, XII canonicos deputavit. Utitur quidem Theobaldus nuda voce monasterii num. 20 iniquiens: Postquam vero aedificatum est monasterium, quod illic adhuc cernitur, in illud elevatus est honorifice et sublevatus. Sed monasterii nomine significari hic templum, quod priori ecclesiolae a S. Gummaro conditae successit, perspicuum est. Similiter num. 24 ait: Ignem jactaverunt (Normanni) ad fastigium monasterii: sed hic iterum, non canonicorum aut monachorum aedes, sed novum templum intelligi debet: subdit enim paulo post: Templum, quod comburere injectae foris flammae non potuerant, ingressi sunt, ut manu propria fierent noxii. Nec minus dilucide loquitur in Vita metrica sequentibus versiculis:

Venerunt etiam, duce Netha flumine, Lyram:
Hic quoque nonnulli ferro periere coloni,
Tunc magnae in cineres ceciderunt ignibus aedes

Temptantesque domum simul et violare sepulchrum

Sancti Gummari, jactis ad culmina flammis,
Non poterant; tectum fax saepius attigit ipsum,

Sed vim virtutis oblitus decedit ignis:

Sic, Pater almae, tuum facis inviolabile templum.

12 Non est itaque aut apud Baldericum, aut apud Theobaldum, unde monachos Lirae, quibus postea canonici successerint, a S. Gummaro primitus institutos fuisse concludas: imo vero sanctimonialis, Wrachtildis nomine, quae noctu in S. Gummari ecclesia cubare solebat, atque adeo matricularia illius fuisse videtur, meminil Theobaldus num. 18, ubi de S. Gummari sepultura et translatione sermonem instituit: feminas vero hujusmodi templorum ministeriis a monachis fuisse adhibitas non arbitror: Cangius certe verbo Matricularii ex libro Ordinis S. Victoris Parisiensis Ms. cap. 21 haec verba profert: In ecclesia tres semper ad minus dormire debent, videlicet sacrista, matricularius, et tertius, cui abbas junxerit: contra vero eas ecclesiarum secularium ministeriis (sed vilioribus) fuisse additas ex Flodoardo lib. II, Historiae Remensis cap. 9 patet; unde Cangius haec verba deprompsit: Deputat (Bennadius, Remensis prope ante S. Remigium archiepiscopus) sanctimonialibus et viduis, in matricula positus, sol. III. Neque movere quempiam debet, Wrachtildem sanctimoniam a Theobaldo appellari: hoc enim olim nomine, teste eodem Cangio, mulieres Deo dicatae, etiamsi nullis votis monasticis obstrictae, comprehendebantur, quas nunc devotarum nomine appellamus. Talis etiam fuit Gerlindis sacristana in Actis S. Rumoldi Theodoricianis num. XI memorata. Eodem, quo de monasterio Lirano, de Mechliniensi, quod S. Rumoldus instituit, Baldericus modo loquitur, id est, canonicorum monasterium appellat: Baertius tom.

at, fundata
canonicorum
collegio,

F

I.

AUCTORE
J. B.

1. Julii in Annotatis ad S. Rumoldi Acta, a Theodorico, abbate Trudonopolitano, qui anno 1107 obiit, scripta, pag. 244 et seq., primine illud incoluerint monachi, an canonici, quaerit. Monachos fuisse primos illius incolas putavit, tum quod S. Rumoldus religiosam vitam prius professus videatur, quam in Belgium venerit: tum quod Notgerum, Leodiensem episcopum ac Mechliniæ ab anno 971 ad 1007 Dominum, duodecim canonicorum illic collegium condidisse repererit Baertii Annotatis mox eorundem Annotatorum continuator Sollerius subdit: Quid ego de primo S. Rumoldi monasterio censeam, alibi indicavi: tale autem fuisse non dubito, quale Mechliniensi conjungit Baldericus, nempe Liranum, communicatis, ut opinatur, cum S. Rumoldo consiliis, a S. Gummaro constructum. Ordini quidem Benedictino ibidem Mechliniense monasterium abrogat; verum pag. 187 num. 84 fueritne illud a Notgero primitus pro canonicis institutum, an dotatum dumtaxat, ambigit: atque adeo num. Mechliniæ et Liræ monachi alterius cujusdam, quam Benedictini, instituti, an clerici seu canonici primitus illud incoluerint, reliquise videtur in dubio: sed utcumque Mechliniensis monasterii sese habuerint initia, ac S. Rumoldi usus S. Gummarus consiliis fuerit, Liranum numquam a monachis inhabitatum fuisse, Balderici auctoritate, usque, quæ mox dicta sunt, fultus opinor. Fundatum id a S. Gummaro fuisse sub annum 760 Miræus tradit in Annotatis ad cap. 75 lib. 1 Donationum Belgicarum, nescio, quo monumento aut testimonio ductus; reor tamen, quod sub dictum annum S. Gummarum e Pippini castris reversum, tumque id operis exorsum fuisse censuerit: at quemadmodum annus, quo e castris rediit, in incerto est, ita et annum cæpti abs illo monasterii seu collegii perinde in incerto esse, necesse est. Addit lib. de Canonicorum collegiis, auctam fuisse postmodum a Carolo Magno foundationem, ac canonicos illic institutos; quæ si vere abs illo sint addita, ipsamet S. Gummarum a Carolo Magno id impetrasse credi non absurde posset; si Gunthmarum, de quo num. 2, eundem ac Nostrum esse constaret.

C
pie moritur
sub ejusdem
seculi VIII
nem.

13 Pippino rege, ex hac vita sublato, Gummarus soli Deo vixisse videtur, ad memoratum mox sacellum recurrere identidem solitus, orationibus et rerum divinarum in eo contemplationi, in Emblehem autem piis erga proximum operibus vacans, uti num. XI Theobaldus scribit: quotannis etiam cum S. Rumoldo, Mechliniensium Apostolo, medio fere Mechliniam inter et Liram itinere congregari soluit; quod quidem, non obstante Theodorici Trudonopolitani in Vita S. Rumoldi ea de re silentio, vel ob utriusque vicinitatem paremque ætatem verosimillimum apparet: locum congressus Sancteyck Gramayus appellat, ac corrupte sua ætate Scadeneyck dictum scribit: Theobaldus autem Stadeyck nominat: Miræus in Notitia ecclesiarum Belgii cap. 199 ex monumentis vallis Rosarum, monialium Ordinis Cisterciensis ad Netham fluvium monasterii scribit Staeydeke, et villam ait in Duffele sitam, quam a fratre suo Egidio Berthout emit Sophia Bertout, quarta vallis Rosarum ab anno 1294 usque ad annum 1328

antistes, ita ut eum locum Santeyck unquam dictum fuisse, mera sit Gramayi, nulla sæpiusculæ absque idoneo teste confidenter asserere soliti, conjectura. Cetera, quæ de S. Gummaro usque ad ejusdem obitum narrat Theobaldus, passim miracula sunt, de quibus in Annotatis dicitur: annum, quo ad immortalem vitam S. Gummarus accessit, haud exprimit Theobaldus, sed diem tantum, quintum nempe Idus Octobris: id contigisse recentiores scribunt, alius quidem anno seculi octavi septuagesimo, alius autem 74 vel 75, non alia, ut opinor, ratione ducti, quam quod sub id tempus S. Rumoldus ad superos migrasse credatur. Itaque si anno 775 obiisse, ac 25 circiter ætatis suæ ad Pippini regis aulam accessisse S. Gummarus ponatur, obierit anno circiter ætatis suæ 45; a relictiis vero Pippini castris septimo: quod si postremum id temporis spatium arctioribus, quam par sit, limitibus circumscriptum quis putet, cum arbitraria potius, quam solide stabilita sit Gummariani obitus epocha, eam in annos aliquot differat, quod facere absque piaculo potest.

§ II. S. Gummarum sepultura, translatio, cultus sacer et apud martyrologos recentiores mentio.

Finem vivendi S. Gummarus fecerat, ejusque exuvias in Emblehem loci incolæ sepelierant, ut illic defuncti ossa quiescerent, ubi ille vitales primum auras hauserat, ac ætatis partem maximam summa pietate transegerat: verum, teste Theobaldo num. 18, secus Deo visum est, sacrasque ejus reliquias in id, quod S. Petro condiderat, sacellum transferri voluit, nec absque prodigiis. Ter a S. Gummaro in somnis monita sanctionialis, nomine Wrachtill, convocatis incolis divinæ voluntatis esse, ut sacra S. Gummarum ossa Emblehemo ad S. Petri sacellum transferrentur, quæque sibi contigissent, aperuit: fidem invenit mulier, tum quod, ut verosimile admodum est, notæ apud omnes virtutis esset; in primis vero, quod vestigia manifesta vultu gereret manus S. Gummarum, quæ hic dormienti tertio apparens impresserat. Aperit itaque sacri corporis locus, sed illud cum in cymbam, qua per Netham fluvium ad S. Petri oratorium veheretur, transferendum esset, moveri ei nulla arte potuit; dum illud pecorum S. Gummarum custos facile sustulit, ac in cymbam delatit, quæ sponte Liram delata, ubi S. Petri templo propior facta est, etiam ultro substitit. Ita Theobaldus, sed ex aliorum relatu, uti sub initium Commentarii dictum est. Porro vero jam tum invocari cæptum esse, ac miraculis coruscasse S. Gummarum, absimile vero non apparet, hincque factum arbitror, ut, destructo tenui illo, quod S. Gummarus condiderat, S. Petri sacello, templum aliud, quod illic adhuc cernitur, inquit Theobaldus num. 20, loci incolæ substituerint; ut sit, anno eadem post translationem mox memoratam circiter quadragesimo, in illud, ut Theobaldi verbis utar, elevatus est honorifice et sublimatus; quæ quidem res præcis illis temporibus

S. Gummarum
corpus, ex
Emblehem Li-
ram transla-
tum, eleva-
tumque in no-
vo S. Petri sa-
cello.

pro

A pro canonizatione est habita. Addit Theobaldus, S. Gummarum deinceps plurima ad suam usque ætatem patrasse miracula, ac e multis unum veluti speciminis loco num. 22 describit, quod ante cladem Normannicam contigisse necesse est, siquidem res eo, quo gestæ sunt, ordine referat.

a quo Sanctus
Normanno-
rum furorem
prodigiæ

15 Sic autem de clade, quam Antverpiæ, Mechliniæ et Liræ seculo IX intulere Normanni, Theobaldus scribit, ut incensa Antverpia, vastata Walachria, cæciso Turnino, incenso pariter Mechliniæ S. Rumoldi templo, furorem suum Liram versus converteriat, ac templum, in quo sacræ S. Gumhari servabantur eæviæ, igne consumere conati, sed incassum, fuerint, Deo scilicet ob S. Gumhari merita flammarum vires cohibente, Reginario autem et Reolfo, Normannorum ducibus, altero morte punito, altero cæcitate percusso, territis ceteris. Vereor, ne quæ diversis accidere temporibus, in unum idemque tempus Theobaldus contulerit: ceterum, cum crebræ fuerint seculo IX Normannorum in Belgium nostrum incursiones, quo anno Liram appulsi fuerint, accurate definire, perquam difficile est: si quid tamen audendum est, annum Christi 835 vel e duobus proximis aliquem funestam illam Brabantie cladem attulisse dixerim, Annalium Fuldensium potissimum fide, qui res gestas ab anno 833 usque ad 896 complevi, apud Chesnium tom. 2 Scriptorum Gallie pag. 546 ad annos supradictos ita habent; ad annum quidem 835; Normanni Dorestadum (Batavodurum, Wyk te Duerstede) vastaverunt: dein ad annum 836: Normanni Antwerpam civitatem incendunt, similiter et Wittham emporium juxta ostium Mosæ fluminis, et a Frisionibus tributum acceperunt: ad annum denique 837: Normanni tributum exactantes in Walchram insulam (inter Scaldis ostia sitam et Zelandie nunc attributam) venerunt, ibique Egghardum ejusdem loci comitem, et Hemmingum Halpdani filium, cum aliis multis xv Kal. Jul. occiderunt, et Dorestadum vastaverunt, acceptoque a Frisionibus tributo, reversi sunt. Neque enim quidquam reperire usquam potui, quod ad Theobaldi sensa accedat proprius, eamque epocham, veluti probabilioris ceteris, amplexus est Sollerius tom. 3 Julii pag. 709, uti et Papebrochius in Annalibus suis Mss., eodem Sollerio teste. Depulsi furoris Normannici memoriam incolæ læto campanarum ecclesie collegiate sonitu, et ingenti ad S. Petri sacellum concursu, accepti a Deo per S. Gummarum beneficii memores, recolere feria v ante festum S. Andreæ quotannis solent: unde factum arbitror, ut credulum vulgus, discedentibus Lira Normannis, spontaneum campanarum sonitum edidisse putarint, quod quidem recentiores Vite S. Gumhari scriptores aiunt; Theobaldus autem tacet.

B accurate definire, perquam difficile est: si quid tamen audendum est, annum Christi 835 vel e duobus proximis aliquem funestam illam Brabantie cladem attulisse dixerim, Annalium Fuldensium potissimum fide, qui res gestas ab anno 833 usque ad 896 complevi, apud Chesnium tom. 2 Scriptorum Gallie pag. 546 ad annos supradictos ita habent; ad annum quidem 835; Normanni Dorestadum (Batavodurum, Wyk te Duerstede) vastaverunt: dein ad annum 836: Normanni Antwerpam civitatem incendunt, similiter et Wittham emporium juxta ostium Mosæ fluminis, et a Frisionibus tributum acceperunt: ad annum denique 837: Normanni tributum exactantes in Walchram insulam (inter Scaldis ostia sitam et Zelandie nunc attributam) venerunt, ibique Egghardum ejusdem loci comitem, et Hemmingum Halpdani filium, cum aliis multis xv Kal. Jul. occiderunt, et Dorestadum vastaverunt, acceptoque a Frisionibus tributo, reversi sunt. Neque enim quidquam reperire usquam potui, quod ad Theobaldi sensa accedat proprius, eamque epocham, veluti probabilioris ceteris, amplexus est Sollerius tom. 3 Julii pag. 709, uti et Papebrochius in Annalibus suis Mss., eodem Sollerio teste. Depulsi furoris Normannici memoriam incolæ læto campanarum ecclesie collegiate sonitu, et ingenti ad S. Petri sacellum concursu, accepti a Deo per S. Gummarum beneficii memores, recolere feria v ante festum S. Andreæ quotannis solent: unde factum arbitror, ut credulum vulgus, discedentibus Lira Normannis, spontaneum campanarum sonitum edidisse putarint, quod quidem recentiores Vite S. Gumhari scriptores aiunt; Theobaldus autem tacet.

sed non sine
adjunctis falsi
suspectis, aver-
sive perhibe-
tur:

16 Vacillat etiam ipsiusmet Theobaldi fides, cum, popularem verosimillime secutus traditionem, Reginarium numinis vindicta oculis amisisse, Reolfum vero, effusis visceribus, perisse scribit; quæ, mutatis paululum adjunctis, ab Aimoino, monacho Pratensi et seculi IX scriptore lib. de Miraculis S. Germani mutata et a Normannis, qui S. Germani prope Parisios templum anno 845 diripuerunt, ad Normannos Liræ eadem fere tempestate grassatos translata videntur; quorum duces Ra-

genarium diffusis visceribus medium crepuisse, ex oculati testis fide affirmat. Addit præterea Aimoinus, Ragenarii socios momentanea saltem cæcitate fuisse percussos, ut qua e S. Germani templo sese proriperent, viæ invenerint, ac demum dysenteria miserum in modum periisse; quæ a Theobaldi narratione haud admodum differunt. Generis ejusdem verosimiliter commentum est, quod de Reolfo, altero Normannorum rege seu duce, effusis visceribus, extincto narrat: Reolfus enim idem valet, quod Danicum Rolf, pro quo, teste Olao Wormio lib. 3 Monumentorum Danicorum pag. 196, jam Rudolphum malunt, addas, licet, et Francisci illius ævi scriptores maluerunt: viæ autem dubito, quin Reolfus seu Rudolphus hic memoratus idem sit, qui Hruidolphus Normannus, regio Normannorum sanguine ortus et in Annalibus Francorum Fuldensibus ad annum 873 memoratus, qui, uti ibidem legitur, post regnum Caroli Calvi sæpenumero devastatum, Ludovicici, Germaniæ regis, regnum aggressus, conserto cum Frisiis prælio, cecidit primus et cum eo octingenti viri: Haud satis itaque Theobaldum inter et scriptores illo antiquiores convenit, ut fidem illi, quantum quidem ad penas Normannis, Deo ultore, inflicta attinet, indubitata debeamus. Sed et cum Theodorico Trudonopolitano Theobaldus pugnat, dum hic, quod struxerat Mechliniæ S. Rumoldus templum, a Normannis excisum; ille autem ab eorum furore perstitisse illæsum ait; nisi Mechliniam iteratis vicibus, quod fieri facile potuit, primum quidem sub annum 835, ac dein sub annum v. g. 881 efferæ gentis impetum rabiemque expertam fuisse contenderis.

17 Pacatiora nostratibus tempora affulsere, postquam anno 891 Arnulphus Normannos prope Lovanium ingenti clade protrivit: miracula item jam aliquot S. Gummarus, uti in superioribus dictum est, ediderat, ac edere porro perrexit: Hoc testantur præclara miracula, inquit Theobaldus infra num. 21, quæ frequenter apud tumulum ejus in salute multimoda ostenduntur. Pleraque ratione (lege relatu) fidelium didicimus: pleraque nostris temporibus facta cognovimus. Minime itaque dubitandum videtur, quin sacer ejus cultus temporis serenioris lapsu insigni incrementum ceperit, ac ædificia sacra ejus nomini æstrui cæperint: præcipuum in his merito locum obtinet præclara S. Gumhari Liræ ecclesia, cujus quidem apud Theobaldum, qui seculo XI vel XII ex dictis supra fuit, vestigium nullum; sed mentionem factam reperio apud Miræum in Notitia ecclesiarum Belgii cap. 189 in charta Henrici, Brabantie ducis, qua S. Gummaro et canonicis Liræ munificum se præbuit anno 1211. Desinit illa in hæc verba: Actum anno millesimo ducentesimo undecimo. Sita est ex adverso sacelli S. Petri, et S. Joannem Baptistam patronum alterum habet: ex quo præcise tempore S. Gumhari dici cæperit, nusquam reperi: splendidis ædificiis, uti Gramayus scribit, anno 1326 usque ad annum 1473 subinde augeri cæpit.

magnificum
ejus nomini tem-
plum Liræ
excitatum.

18 In hoc, inquit Henschenius noster (in Ms. quodam, quod præ oculis habeo) tunc perfecto (non perfedo, uti perperam, non satis accurate inspectis Henschenii characteribus, habet D. le Roy in Notitia Marchionatus S. R. I. lib.

et alia quædam
loci,

actores
J B

lib. 2, cap. 16) templo S. Gummari, hujus tumba visitur supra tabulam altaris, non procul a boreali porta in excurrente in formam crucis porticu siti, ubi e regione altaris picta aliqua miracula: est etiam in dextera parte ostii tabulae summi altaris picta imago S. Gummari habitum principis. *Templum SS. Petri et Pauli, quod ecclesiam collegiatam ex adverso respicit, ab ipso S. Gummario angeli monitu constructum passim traditur; sed Theobaldus in Vita Metrica S. Gummari sacellum ligneum illic condidisse, cui ante irruptionem Normannicam aliud, quod sua etate adhuc cernebatur, successisse significat, uti num. xi dicimus.* Ibi, pergit Henschenius, sub altari visitur sepulchrum S. Gummari unde corpus in majus est templum (nempe sub annum 1470, die xvii Maii, quo illa Lira quotannis recolitur) translatum. Est ibidem post altare rotundum foramen, per quod caput suum inserunt quidam pii homines sepulchro, quod ad latus aperitur.

sive Lira,

19 Hinc vero ad aliud templum seu sacellum. S. Gummari memoriae sacrum, ita progreditur Henschenius: Est et tertium sacellum, reclusorium dictum, vulgo de Cluse, illo in loco, ubi quercum abscissam, collectis fragmentis iisque cingulo junctis, ut recresceret, effecisse infra in Actis traditur: et in tanti miraculi memoriam arbor ferrea affabre facta medium sacelli occupat. *Stabat adhuc sana et vegeta quercus illa Theobaldi etate, ut ex num. 7 Actorum liquet: postquam perit, locum, quo steterat, dictum mox sacellum, anno 1262 conditum, cinxit, sacrumque in eo positum, quod loci, in quo quercus steterat, memoriam conservaret: arbor porro ferrea sacello binis circiter seculis recentior est, utpote sub annum dumtaxat 1470 illic collocata, uti ex Historia Lirana Ms. Teutonica, auctore, ut apparet, Richardo van Graesen, Lirano sub initium seculi xvii consule, in supellectile nostra litteraria annotatum reperio.* Quibus fere Gramayus consonat, de hoc sacello, collocataque in ea quercu ita scribens lib. 3 de Antverpia cap. 8: *Locus hoc miraculo (praecise restitutaque quercus) honoratus frequentatur admodum, cui anno mclxii sacellum, et seculo sequenti reclusorium (inde nomen retinet) superstructum, choro anno 1466 renovato, quod vitio temporis collapsum, reposita illic anno 1605 icuncula (ex ligno arboris, in qua Aspicollis reperta est) Deiparae nunc nitidiuscule restauratur, annitente in primis Richardo van Grasen et Joanna Munninx conjugibus, succurrente piorum eleemosyna. Arbor ferrea affabre facta medium sacelli occupat, et locus, ubi miraculo prior succreverat, saxo notatur. De aedibus, S. Gummario sacris, quas ambitu suo Lira complectitur, haec tenet.*

sive alibi ejusdem cultu sacra.

20 Est extra urbem, inquit Henschenius, ad duo M. P. pagus Emblehem, nativitate et habitatione S. Gummari celebris, ubi etiam sacellum S. Gummari et fons contra febres salutaris: neque contra febres tantum, sed alios etiam corporis morbos et vitia, uti Miracula S. Gummari sub annum 1475 facta legenti abunde constabit: hunc S. Gummarius sedante agriculturalum siti, defixo in terram baculo, excitasse in Actis dicitur; cujus scaturigo minime miraculosa, sed naturalis apparet, inquit D. le Roy supra laudatus; unde commentitium esse excitati a S. Gummario fontis miraculum

suspiciatus est. *Fateor quidem, non eum esse Theobaldum, ut fidem dictis suis certam vindicet: neque id miraculi certo evincunt collata divinitus eo fonte utentibus beneficia, ut quae conferri aegris potuerint, non tam in excitati a S. Gummario fontis testimonium, quam in illorum erga Deum Sanctosque fiducia praemium: facent tamen utcumque indigenarum traditioni; neque, ut fons prodigiose excitetur, necesse est, hunc eo scaturire loco, unde emanare naturaliter nequeat, ac vel ipso sui situ prodigium prodat.*

21 Præterea in Hollandia Boreali, quae et Frieslandia Occidentalis dicitur, pergit Henschenius, ad mare Australe oppidum Enchusa olim, cum religio orthodoxa ibidem florebat, venerabatur patronum suum S. Gummari, cui ecclesia erat dicata, et in ea pollex ejusdem Sancti religiose adservabatur, et solebant cives Enchusiani quotannis multo numero Liram ad natalem Patroni sui accedere, ejusdem feretrum in supplicatione quasi suo jure circumferre. *E duabus ecclesiis parochialibus alteram S. Gummario, alteram S. Pancratii martyri sacram Enchusae fuisse, locique incolis in more positum, ut Liram sacra S. Gummari ossa veneratum irent, legitur etiam Bataviae Sacrae parte altera pag. 449. Seculi xv anno xxiii aut sequenti S. Pancratii templum, ut ibidem legitur, conditum fuit; verum de Gummariani templi epocha nihil isthuc occurrit: neque, qua occasione, quoque tempore peregrinationem Liranam instituerint Enchusiani, uspiam reperiri. Gramayus S. Gummari villam Enoch (ita Enchusam appellat) Dominum Pippini regis munere fuisse tradit; Euchusianos vero illum jam inde ab ejus obitu primos invocasse, et in Patronum sibi delegisse, ac quotannis ejus tumulum gregatim visitare solitos: verum hoc non convenit cum ratione temporum; oppidum enim illud multis seculis recentius est, nec scio, unde illa (Gramayus) hauserit, inquit dominus le Roy, et, ut apparet, fundate satis: faletur equidem Menso Alling Notitia Germaniae inferioris, quam ex Germanicarum et Francicarum Rerum scriptoribus, ac mediæ ævi monumentis concinnavit, parte altera pag. 51, se mentionem hujus oppidi seculo xiii antiquiorem non invenisse. Quod autem ad fontem, unde hauserit, quae hic Gramayus scribit, attinet, hunc non alium fuisse, quam Historiam Liranam Ms., sermone vernaculo a domino Richardo van Graesen conscriptam, propterea existimo, quod illius excerptum de S. Gummario reliquias pra oculis habeam, in quo pariter S. Gummari Enchusae Dominus fuisse perhibetur; sed ea non est domini Graesen, Lirani consulis, auctoritas, ut certam hac in re sibi fidem vindicet, nisi pariter de monumentorum, quibus usus est, antiquitate et auctoritate constiterit. Eodem porro cultu genere S. Gummari, patronum suum, annuatim prosequi olim consuevere lignorum fissores Antverpienses, cui et altare in ecclesia cathedrali erecerunt: Gandenses item annis pluribus ante et post annum 1475 S. Gummari feretrum in solenni supplicatione succollasse, in eodem Historiae Liranae Ms. Excerpto dicitur. Visitur etiam in pago Duffele diocesis Mechliniensis, medio fere inter Liram et Mechliniam itinere, sacellum SS. Rumoldo et Gummario sacrum ob congressum utriusque Sancti memoriam*

Sancti reliquiae
sec. xiv integre
reperita,

A *memoriae, sed non ita pridem exstructum; et in dioecesi Antverpiensi non procul Lira pagus Herenthout, S. Gummari dictus. De locis S. Gummari sacris hactenus: proxime est, ut de ejusdem nunc reliquiis quaedam, etsi pauca, delibemus.*

populoque interdum ostendit.

22 *Defuncti S. Gummari corpus in vico Emblemæ, ubi primum traditum humi fuit, per annos prius quadraginta, quam Liram translatum inde fuerit, jacuisse bini ejus biographi recentiores, et auctor Historiæ Liranae in Excerpto, num. superiore laudato, tradunt; quibus tamen assentiri non possum: neque enim Theobaldus annos 40 ab obitu S. Gummari usque ad primam ejusdem translationem, sed a dicta translatione usque ad ecclesiae noxæ, quæ minori, a S. Gummario constructæ, successit, ædificationem elapsos scribit, id quod non solum in Vita prosaica infra num. 20, sed etiam in Vita metrica hisce versiculis tradit:*

B *Ibant a navi psalmis hymnisque canori,
Nec non sancta sacro posuerunt ossa sepulchro.*

*Moles basilicæ, quam Sanctus fecerat iste,
Structura lapidum minime surgebat in altum;*

*Lignea sed modicis constabat fabrica tignis.
Hic jacuit sacer ille cinis denos quater annos,*

*Dum conspirantis pariter devotio plebis
Erexit talem, qualem nunc conspicis, ædem.*

Erecta hac nova incolarum pietate ecclesia, sacrum ejus corpus (ita sonant Excerpti supra memorati verba) inde (ex humiliori loculo) extractum et elevatum est, positumque in capsâ bene clausa mansit in illa usque ad annum mccccliv, quo anno, consentiente episcopo Cameracensi, Petro nomine (tenuit is sedem Cameracensem ab anno 1350 usque ad annum 1368) primum capsâ fuit aperta, in eaque inventum est corpus adhuc integrum cum veste, in qua involutum jacuerat annos xl in sepulchro, eaque pariter integra et incorrupta; uti constat ex litteris, illa de re in pergameno scriptis, quæ hodieum servantur apud æditimos. Hæc eadem vestis deinceps crebro ostensa fuit, peritque tandem in iconoclasti Belgica hæreticorum.

in collegiatam S. Gummari translata, ab hæreticis profanata, et cum Tongerloënsibus

23 *Alterâ inspectio ostensioque ejusdem sacri corporis facta est anno mcccclxx die xx Aprilis. Tertia mcdvii, xii Septembris. Quarta mcdlxxv, quando corpori integro nihil deerat, nisi costa una, quæ capsellæ argenteæ inclusa per crystallum spectanda et veneranda proponebatur. Alterius igitur cujusdam Sancti, non S. Gummari, pollex fuerit, cujus olim possessione gloriosi sunt Enchusiani. Gramayus item tres sacri ejusdem corporis visitationes memorat, quarum prima anno 1344, altera 1369, tertia 1406, die tertia Octobris contigerit; quæ cum Excerpto nostro, et tempore, quo Petrus episcopus Cameracensem revexit ecclesiam, pugnant; sed hujus mihi potior fides est, quod ex Ms. Historia Lirana cernacula translatum sit, cujus auctor hac in re ecclesiae Liranae monumenta procul dubio consuluerit. Ceterum anno 1475 die 17 Martii S. Gummari reliquiæ ex ecclesia seu sacello S. Petri translatae fuerunt ad ecclesiam collegia-*

tam, novis ædificiis auctam: opus plane insigne dignumque, quod tanti Thaumaturgi ossa exciperet; hæc vero non minus digna, quæ summa incolarum advenarumque veneratione colerentur: verum nec loci majestas, nec sacri pignoris sanctitas cohibere scelestas hæreticorum manus potuit, quin id templum seculo xvi diriperint, sacras S. Gummari ecurias profanarint, disperserint, ac caput ejusdem ambusserint, Normannorum impuris dexteris nihilo ex hac parte meliores; quam eadem accidisse scribit anonymus S. Gummari biographus anno 1580. Hinc factum, ut haud multum reliquiarum S. Gummari hodieum ecclesiae collegiatæ supersit. Earum pars aliqua in abbacia Tungerloënsi servatur, uti ex abbatiæ illius Chorographia, Sanderi Brabantiae subnexa, intelligo.

24 *Partem item earundem reliquiarum Antverpiensibus lignorum fissoribus, de quibus supra, dono dedit dominus Franciscus Ortiz de Ybarra, cathedralis ecclesiae Antverpiensis decanus, ac dioecesis vacantis vicarius generalis, quæ in eadem ecclesia anno 1699 solenni ritu fidelium venerationi expositæ ecclatæque fuerunt xi Octobris, quo præterea die indulgentias plenarias in sacello fissorum lignariorum a fidelibus lucrandas ad augendam eorum erga S. Gummari, peculiarem adversus hernias patronum, pietatem concessit Pontifex summus Innocentius XI, uti habetur in eorum programmatibus anni 1705 et 1712, quæ præ manibus habeo. Canonici porro Lirani uti olim consuevere sigillo, quod S. Gummari equo insidentis effigiem exprimebat; quo autem nunc utuntur, scutum album, cruce rubea insignitum, exhibet: quæ de antiquo capituli Lirani sigillo mox dici, hausta sunt ex citata paulo supra Tungerloënsis abbatiæ Chorographia, ubi hæc leguntur: Post Eugeramum ergo Wenemarum VII abbas pedum Tungerloënsis moderatus est, et sub illo facta est quædam transactio ad annum mccc inter canonicos Tungerloënses et Lyranos S. Gummari. Ubi in sigillo collegiatæ ecclesiae de Lyra cernitur D. Gummari equo insidentis cum hac inscriptione: « Sigillum S. Gummari pretiosi militis Christi. »*

AUCTORE
J. B.

Antverpiensibus lignorum fissoribus aliquando communicata:

E

25 *Commentarium claudant reliqua Henschenii de S. Gummario, quam, suppresso ejus nomine, dominus le Roy Operi suo fere totam inseruit, lucubratiō. Præterea solenni cultu dies natalis ejus in ecclesia tam Antverpiensi, quam Bruxellensi celebratus fuit. Hinc primo loco ad diem xi Octobris in Ms. Martyrologio Bruxellensi S. Gudilæ ista leguntur: « Apud Liram oppidum Brabantiae depositio S. Gummari confessoris. » In antiquo Breviario Antverpiensi, excuso anno mcccxcvi, et in Bruxellensi, anno mxxvi impresso, habentur Lectiones propriæ sex, aut etiam novem, ad Matutinum recitari solitæ et ex Actis assumptæ, cum hac ubique Oratione: « Omnipotens sempiternus Deus, angelorum decus et gaudium, qui gloriosum nominis tui confessorum Gummari signis et prodigiis mirabilem demonstrasti, propitiare populo supplicanti, ut, qui venerandam ejus solennitatem celebrat, ejus sacro interventu æternæ salutis portum inveniat. Per Dominum. » Colitur etiamnum in tota dioecesi Antverpiensi ritu duplici, sed omnia de communi Confessoris non Pontificis desumuntur.*

Officium denique ecclesiasticum, et apud martyrologos mentio,

AUCTORE
J. B.

desumuntur. Lectiones secundi Nocturni incipiunt : " Deridetur justis simplicitas " (*dein substituta sunt his propriae*) et tertii Nocturni Evangelium : " Nolite timere pusillus grex. " Initium Missae : " Justus ut palma. " Memoria ejusdem celebratur in Ms. Florario cum longo encomio ex Vita, additurque " de stirpe Carolidarum " prognatus. Item in Auctario Grevens, et Molani ad Usuardum, item in hujus Indiculo et Natalibus Sanctorum Belgii, Fastis Belgicis Miraei aliisque cum hodierno Martyrologio Romano, *cujus Annuntiatio haec est* : Lire in Belgio, depositio S. Gummari confessoris.

ANNOTATA.

a *Non serius scripsit seculo XII, quo vixit Fronto, Lirensium Praepositorum postremus.*

b *Vitam S. Gummari Theobaldus prosa conscripserat; sed stilo, uti censebat Sigerus, haud satis eleganti: stilum itaque Theobaldus vertit, id est, orationem solutam vertit in ligatam, quod manifeste ipsemet prodit in Prologi calce. Nulla igitur antiquior S. Gummari Vita, quod Henschenius et D. le Roy opinati sunt, Theobaldo praeluxit.*

D

VITA

CAPUT I.

Auctore Theobaldo.

S. Gummarus in Emblehem nascitur, uxore ducta, Pippini castra sequitur, oratorium SS. Petro et Paulo condit, miraculis ac virtutibus clarus ad Dominum migrat.

B

PROLOGUS

Ex Vita Metrica.

Theobaldus
Sigerus Vitam
S. Gummari
versibus a se
redditam mit-
tit.

a

b

*supple:
iterum me

*l. ne

*metrica

Domino Sigerus, Lirensi Praeposito, frater Theobaldus a summam salutem. Hortata est caritas tua, ut in Vita sancti Gummari stilum verterem, qui videbatur rusticari b, quod tamen etsi ita esset, ego quoque sentirem, nolui tamen mox acquiescere petitioni tuae, non laborem fugiens, sed quorundam animos nobiscum non sentire mecum reputans. Rogatus ergo iterum atque * excusavi. sed nihil excusando profeci. Instantem itaque obnixius non * offenderem amicum, cui non solum mea meumque laborem, sed etiam meipsum impenderem, tandem assensi, manum apposui, me *, integritate servata, stilum verti, ea praecipue causa, quoniam pia et sincera devotione erga sanctum Gummarum fervere intellexi animum tuum. Hoc etiam provisum est, ne rem lucidam tenebris obvolverem, sed materiam simplicem prosequeretur stilus simplex. Sed vide, frater mi, ne me dentibus invidiae et detractiois morsibus objeceris, quasi superflue superducam Opus novum. Ab his veniam postulo, pacem peto, ad juris quoque praesidium fugiens postulo, ne praedjudicent indiscussum. Cessa, quae, invidia, obmutescere detractio; si erravi, si excessi, erravit pietas, erravit charitas: amico enim roganti obtemperavi. Scio equidem, si quis segnitiae torporem calore studii excussit, et oculos collirio rationis inunxit, non aspiciet haec torvo lumine, nec veterem somnum novae vigilantiae praeponeat. Accipe ergo amici tui donum, de Patre ac Patrono tuo Opusculum, quem quia diligis, etiam, quidquid de eo loquitur, amplecteris: sed vera dilectio non parit fastidium, sed potius ampliat desiderium. Quare repetitum est metrica, quod expositum fuerat prosaice, ut sancto Gummaro nunc per planitiam prosae te delectes, nunc in pedibus versuum saltes.

Sanctus Gummarus generosa stirpe a exortus, apud Emblehem, Renensis provinciae vicum b, natus fuit et nutritus. Qui Sanctis pollens exordiiis, sanctioribus vero postmodum insistens studiis, sanctissimo fine cursum vitae consummavit. Nam a cunabulis mancipatus Deo, tantum proficiebat virtutibus et fide, quantum crescebat corpore et aetate. Avertens quidem se a vanitate et ludis, animo suspirabat ad caelum, illic patriam sibi esse affirmans. Quid vero multum de principio ejus sanctitatis dicam? In jejuniis et vigiliis castigator carnis, eleemosynarum largitor dapsilis.

2 Igitur cum bonorum flores sanctus Gummarus emitteret, ad aulam regis perductus est a parentibus suis, dignus quidem, ut regni principibus interesset et negotia regni procuraret. Pippinus eo tempore primatum tenebat imperii c: ab eo itaque susceptus est. Sed sanctus Gummarus mallet Deo servire, quam regi; vellet potius privatus esse, quam in aula consistere. Cogitabat secum, se quasi procul a littore abductum in procellas et turbines seculi, in quo tumultuantur vitiorum cunei, ubi superbia regnat, avaritia sollicitat, invidia mordet, luxuria ardet, ceteraque hujusmodi virtutum acies impugnant. Pro sua ergo industria non solum regi acceptus, sed etiam cunctis optimatibus suis factus est charissimus. Sermo ejus sapientia conditus erat. Omnia opera ejus Deo et hominibus complacebant; nec multum temporis magna praefectura d honoratus est.

3 Libet nunc breviter recitare de sancto Gummaro rem parvam, sed magnae pietatis plenam. Cogente rege, nulla autem libidine, uxorem duxerat, nomine Grimmaram e, longe a suis moribus dissimilem. Nam quanto hic lenitate et misericordia, tanto illa redundabat impietate. Cum ergo jussu regis ad expeditionem proficisci pararet, domus suae totiusque familiae illi reliquit potestatem, et quantam mansuetudinem

CAP. I.
S. Gummarus
stirpe nobili in
Emblehem or-
tus,

a

b

CAP. II.
cum ad Pippini
aulam access-
isset,

c

CAP. III.
hujus jussu
uxorem ducit,

d

e

A dinem erga subditos exhibere deberet, amonuit, profectusque est. Sed illa, mente crudelis, ut fera, capit sœvire in suos: falsis eos obligabat culpâ quasi negligentes, et constituta debita non solventes, servitia eorum despiciabat. Qua occasione abstulit boves eorum omnemque possessiunculam, nichil eis relinquens præter paupertatem et laborem, præter vitam summamque miseriam. Cumque tamen exigeret absque pietate quidquid solebat prius sibi persolvi, et illi bobus essent spoliati, subibant jugo, ut jumenta, trahebantque plaustra onusta ad usque domum illius dolentes atque gementes. Attende nunc animum non femine, sed crudelis belluæ. Postquam spoliaverat eos rebus suis, duris affligebat verberibus, et capillos capitis detonderi / jubebat.

cap. IV.
urbatâque
eis illa fami-
liam e bello ve-
diz tranquillitatis primum
restituit;

4 Annis vero novem transactis, cum dimissus a militia rediret exercitus, Sanctus quoque Gummarus remeavit ad sua g. Et ecce apud rivulum, qui dicitur Diepenorth, quandam servulorum aspexit trahentem plaustrum, vehementer cœsum, et toto capite rasum, dolenterque lachrimantem. Et cum appropinquaret,

B motus pietate, inquit: Quis te, frater, in tantum affixit? Quis tibi capillos abrasit? Quanam est lachrimarum vel tanti causa doloris? Adhæc ille, * nequaquam responderet, metuens Domine suæ crudelitatem, multis cum minis aggressus est, donec rei veritatem ab eo extorsit. Audiens pius pater sanctus Gummarus sœvitiam uxoris suæ, suspirans ab imo, jussit illum secum reverti: sed reverti præ timore renuit, donec violenter a Domino suo coactus est.

supple cum

Præmonuit Vir sanctus omnes, qui secum adeant, dicens: Ingressus domum ut potus michi detur, præcipiam. Si vituperatur ab illa, laudetur e contrario a nobis, ut confusa erubescat. Intransi ergo domum occurrit tota familia, ejulans et clamitans, se graviter cœsos, injuste spoliatos, omnibus modis miserabiliter afflictos. At ille hoc videns animo conturbatus est et conversus ad uxorem dixit: Conturbet te Deus, sicut conturbasti nos. Oportet bonum operari ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei: sive enim servus, sive liber, omnes in

C Christo unum sumus. Parce ergo servis tuis: pone modum sœvitie tue. Eadem hora pecus omne jussit e pastu reduci, et unicuique, quod suum erat, restitui. Deinde cum sedisset, quasi sitibundus potum afferri præcepit, et cum cerevisia allata propinaretur in circuitu, solita verusutia mulieris vituperata est: sed sanctus Gummarus et omnes, qui cum illo venerant, opposita laude potum commendantes, confusam tacere fecerunt. Post hæc convivium grande et copiosum tam liberis, quam servis fieri jussit, et sic corda omnium paterna consolatione lenivit, et exhilaratos remisit in domos suas.

cap. V.
moz soli Deo
militare de-
cernit; Ro-
manique cogi-
tans

5 Igitur sanctus Gummarus magis magisque ad Deum intentus, sanctioribus studiis voluit insudare, sicut interest omnium bonorum, ut de virtute in virtutem proficiant. Animum itaque super terrena et caduca erigens, anhelebat toto desiderio ad superna, ut videret Deum Deorum in Syon. In sancto igitur ipsius pectore, nonne tibi videtur tale versari consilium? Hactenus militavimus regi terreno: definceps militandum est, regi regum, Deo. Parum est labore presentis militiae præmia capere peritura; optimum vero sanctitate vite

Octobris Tomus V.

dona mereri sempiterna. Abjiciendus est mundus iste, quia fugitivus est, et omnis gloria ejus sicut fœnum marcessit. In castra ergo summi imperatoris devotus miles venio. Hunc sequor, hunc diligo, huic fidem perseveranter custodio. Itaque commendans se Deo, Romam iter aggressus est. Erant ergo secum nonnulli de vicinis suis. Adverte nunc jocundum novumque miraculum. Primo die incepti itineris non longe a domo sua progressus, fixit tentorium juxta fluvium, qui vocatur Nita h. Arborem quoque in proximo stantem, pulcram valde jussit succidi i, quia ad fixationem tentorii erat necessaria.

A. THEOBALDO

precisam ar-
borem

6 Continuo possessor loci illius rusticus affuit iracundus, et jurgiis tumidus, cunctos aggreditur, nulli parcat, omnes incusat, conversusque ad sanctum Gummarum, tali vexavit illum aperitate verborum: cur agrum meum pervasistis? Ecce jumenta vestra, ecce tentoria vestra. Quasi propria sic tenetis aliena: omnia depascitis, omnia conculcatis, cuncta proster-nitis. Quid michi et tibi, Gummarus? Quid tibi male feci? Neque te offendi, nec quemquam tuorum læsi. Quod si nullum meum cau-saris peccatum, cur innocentem conteris? Sed ut cetera dampna obmittam, hoc unum præcipue doleo, quia arborem hanc, quam plantavi, quam michi tot annos servavi, succidi fecisti.

E

Respondit placido vultu sanctus Gummarus: Fateor peccatum meum: sed si injuriam intuli, sicut justum est, satisfaciam tibi: aut arborem prostratam tibi restituiam, aut pro dampno justam mercedem tibi rependam, Quiesce, precor, quiesce tantum ista nocte. Vix multis precibus consensit rusticus, ut sileret usque mane et abscessit. Nocte ergo instanti, cum jam sopor et silentium tenerent omnes, sanctus Gummarus ad consuetum presidium et solita orationis arma confugit. Domine, inquit, tu refugium factus es nobis, adjutor opportunus in tribulationibus. Ne avertas faciem tuam a clamore meo, nec claudas aures tuas ad preces nostras. Quod si ego, Domine, exaudiri non mereor, saltem hos, qui mecum sunt, attende. At si peccatis nostris omnes gravemur, ne ascendant ad te petitiones nostræ, fac propter te ipsum, Domine, ejus nec pietas habet finem, nec dona mensuram. Reveletur hominibus gloria tua; prædicetur ab incredulis nomen tuum, et seiant, quia non est vana fides nostra, nec deserit sperantes in majestate tua. Tu ergo, Domine, qui de nichilo omnia condidisti, qui die tertia herbas, arbores, et virgulta de terra produxisti, restitue arborem, ut prius integram, et aufer a servis tuis, quam ignoranter incurrimus, contumeliam.

suis precibus
redintegrat;

7 Et cum orasset secus arborem prostratus, surgens tulit zonam suam, collegit arborem, præcinctam colligavit. Res mira, et memoria venturæ generationis digna. Ita enim solidata est, acsi nullam antea læsionem sensisset h. Adhæc in eodem loco ipsam videmus omnino sanam l. Aspicimus tantum vestigia circumligatæ zonæ retinentem. Signum ligaturæ arbor integra representat ad gloriam Dei et laudem servi sui. Mane autem facto, rediit rusticus excondicto, hesternus tumidus ira, et pro dampno replicans jurgia. Quem sanctus Gummarus leni affatu et læto vultu compescens, apprehensum manu perduxit ad arborem, et ostendens illæsam, ecce,

88 ait,

A. THEOBALDO.

ait, fili, arborem, quam præcipue dolebas recisam. Dedit Deus solatium dolori tuo : abstulit quoque angorem cordi nostro. Gratias refer omnium bonorum largitori Deo, cujus pietate donum memoriale accepisti. Quod signum cum viderat ille, qui prius impatienter sæviebat, divina inspiratione compunctus ait, virtus Dei hæc est ; non est opus hominis, ut arbor succisa exiguæ noctis spatio in pristinum consurgat statum. Arbor ista, quam hoc miraculo dedicasti, ultra non erit mea : hanc ego tibi do : totum quoque territorium, quiddam meæ hereditatis est, in possessionem stabilem tibi constituo. Igitur, ut post illum diem firmam ad invicem amicitiam pepigerunt, osculantes et salutantes mutuo se, pacifice digressi sunt.

SS. Petro et Paulo angeli monitu

m

8 Prædicta nocte, quæ prima fuit itineris sui, quiescebat sanctus Gummarius in tentorio ; et ecce, angelus Domini in visione apparuit ei supra tentorium quasi columba assistens *m*: qui dixit ad eum, O Gummare, vigilas ? Vigila. Nam ego nuncius a Deo missus sum, ut ipsius mandata tibi aperiam. Præmonet te, quid facturus sis, ostendens, ubi maneat, vel qualem vitam ducere debeas. Disposuisti Romam ire, et oratoria Apostolorum Petri et Pauli visitare. Sed Deus ubique præsens est, bonos et malos in omni loco contemplantur oculi ejus ; novitque Dominus, qui sunt ejus. Tu autem, hoc itinere omisso, imperium, quod tibi mandat, attentius audi. Haud longe ab hoc loco, in quo jaces, locus est circumfluente amne conclusus, arboribus quoque consitus. Arbores inde extirpabis et oratorium ibi facies : hic tibi venti sedes, hic tibi defuncto erit requies. Nam cum in cætus sanctorum fueris assumptus, hic in monumento pausabunt artus tui. Sed constanti animo esto, et bonis operibus vigilanter insiste, certissime sciens, quia ad consortium angelorum pervenies, et sempiternæ vitæ præmia pro labore temporali percipies.

Lix.

9 Tali autem admonitione completa, egressus Vir sanctus, vidit in apice tentorii angelum in specie columbæ, mirabili splendore rutilantis. O beatum Virum, qui angelico affatu dignus fuit ; qui etiam inspicere illum oculis mortuæ carnis promeruit. Illico ammiranda visione lætatus in hanc vocem erupit : Benedictus es Deus, qui respicis humilia in terris, in throno celestis gloriæ tremendus angelis, ammirabilis hominibus, quem omnis creatura veneratur, cui genua cunctorum flectuntur. Tibi laus et honor, tibi jubilatio et gratiarum actio, tibi regnum, decus et gloria sine fine in sempiternum. Ecce ego visione ista certus, et ammonitione instructus, non morabor omittere, quod incepti, et apprehendere opes, quod jussisti. Tunc sanctus Gummarius transiens flumen, ingressusque locum, cœpit cædere, cœpit extirpare arbores et frutices : nec cessavit donec planicies amænissima facta est : projecit autem excisas arbores in vicinum fluvium, quarum congeries tanta est, ut videatur adhuc ædificiorum culmina adæquare *n* : ubi cum fuissent hæcenus avium ferarumque domus, habitatio hominum aptissima facta est.

cujus hic situs describitur.

o

10 Sed nunc locus ille paucis describatur. Nomen huic villæ antiquum Nivesdonch fuit, quod mutatum vulgus Ledonem *o* appellavit. Hæc uno a latere respicit Taxandriam ; a latere altero Renensem provinciam : sed inter has

et villam amnis, Nita nomine, medius influit, D qui eam suo ambitu inclusam ab utraque sequestrat ; quæ in flexuoso sinu ipsius quasi insula stans, hinc advenientes admittit per pontem unum, inde exeuntes emittit per pontem alterum. Sed amnis iste, Nita nomine, in accessu marinæ effusionis crescendo alveum suum complet : recessu vero decrescendo minuit ; dulces aquas tamen ad potandum semper habet, atque sub illis alit immensam piscium habundantiam. Progressus inde idem amnis præterfluit villas, præterfluit casas in ripis suis exstructas, prata irrigat, fecundat arva, transit silvarum umbracula. Si quis autem de medio supradictæ insulæ oculos hac illaque circumferat, in jucundo spectaculo delectatur animus ejus. Aspicitur enim ultra amnem planities lata et speciosa, quæ longe lateque diffusa, et floribus decorata est et pascuis uberrimis. In circuitu autem ingens silva conspicitur, quæ plurima magnitudine in longum latumque porrigitur. Illic glandiferæ arbores, illic pasua, illic ferarum cubilia, usuique hominum multum necessaria. Quid de agrorum adjacentium fertilitate dicam ? Illos præ ceteris laudant, quia parvo coluntur labore, sed maxima abundant ubertate. Igitur in tali territorio locus situs gestat in medio sui ecclesiam lapidibus exstructam *p*, et decenter perornatam, in qua S. Gummari reliquiæ continentur, quæ sunt totius patriæ munimentum, liberatio hominum, spes benigna, laus jocunda, salus certissima.

11 Sed nunc ad inceptum redeamus opus : sanctus Gummarius, postquam arbores et spineta et frutices extirpavit, et in fluvium, sicut jam dictum est, dimersit, ecclesiam ibidem in honorem sancti Petri condidit ; in qua jugiter orationibus invigilans, ad supernam civitatem et cives ipsius desiderans suspirabat ; oculos interiores ad vanitatem non retorquens, sicut scriptum est : Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro, est aptus regno Dei *q*. Sanctorum vero gesta perscrutabatur et exemplis Sanctorum vitam sibi formabat. Præceptorum Dei erat auditor, et illa opere complebat. Qui, cum ad villam suam Emblehem reverti vellet, in eundo vel redeundo nullum sustinebat laborem ; nam modico intervallo inde aberat * Considerate, fratres, temporalem hujus Viri miliciam. Apud Emblehem activam vitam exercebat. Nudis scilicet porrigens indumenta vestium, esurientibus largiens victum, infirmorum curam gerens, peregrinantes suscipiens, pupillos judicans *, defendens viduas, et hujusmodi operibus insistens. At quotiens a terrenis animum levabat, ut soli conditori per contemplationem intenderet, ad locum oratorii sui recurrebat.

12 Silendum vero non est, quam præclara virtute sanctus Gummarius enituit. Nam messis in tempore, cum exirent homines undique in agros, ait illi uxor sua : Ecce videmus alios ad messem properantes. Quid in desidia consumimur ? Et exivit cum familia in agros. Cum instarent operi, nec respirarent, sitire cœperunt vehementer : fervor quoque nimius erat, jam solis æstu diem mediante. Petierunt itaque paulisper dimitti, donec restringerent * ardorem sitis. Sed mulier truculenta nullam incepti operis moram, fieri sinebat : Immo lacessitos urgebat

oratorium condit,

q

F * sic Ms. L.

* an vindicans ?

baculo fontem excitat,

* Ms. L. restringerent

A **g**ebat minis, et amaris sermonibus. Cumque jam gravitate laboris et sitis deficerent, ecce, sanctus Gummarus veniebat in agrum; cui occurrerunt omnes cum fletu et procidentibus pedes ejus dixerunt: Ecce, Pater, ecce, deficiamus: labor iste in tanto diei fervore gravis est, et siti perimus. Petivimus a domina nostra, ut concederet nobis paulisper respirare et aquæ haustu animas nostras refocillare; sed aspere renuit. Miserere ergo saltem tu, Pater, et salva famulis tuis animas nostras. Horum lacrimosa voce commotus, ait uxori suæ: O cor impium! o mens perversa. Cur ad pietatem non inclinaris? Quare viscera miserationibus ocludis? Non sit tibi sors nobiscum, quæ talem geris animum. Recede hinc, revertere domum, Deo invisita et hominibus odiosa. Quæ statim recessit, increpationem illius parvipendens. Tunc sanctus Gummarus fodit baculo terram, et eruperunt * aquæ largissime. Omnes ergo alacres hauserunt aquas; sed magis præsentis miraculo, quam potu refecti sunt. Adhuc manat fons ibidem, ut sit jocundæ virtutis testimonium *r*.

* Ms L. eruperunt

B **13** Uxor autem illius, ut dictum est, domum regressa nimio sitis ardore periclitari cepit. Denique ultrix impietatis suæ sitis eam apprehenderat, quæ prius sitientem familiam refocillari non permiserat. Justo quidem iudicio: quæ enim per compassionem sentire noluerat, quantum affligeret alios, tormentum sitis translatum in se experimento didicit. Dicit quippe in Euangelio Dominus: "Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis s". Sed ardorem aqua restringere * non potuit; vim et naturam suam aqua perdiderat, quæ in pectore suo fomes et nutrimentum incendii erat. Sentiens autem illa sibi mortis instare periculum, misso nuntio, orabat clementiam sancti Gumhari: ille autem intellexit divina ultione illam cruciari et incidere * laqueum, quem ipsa tenderat. Sed recogitans malum pro malo non esse reddendum, ad ægotam pervenit, vidensque in extremitate vitæ periclitantem, ita ut pene expiraret, signaculo sanctæ crucis signavit illam, et potum manu sua porrexit; quæ statim ab infirmitate corporis convaluit, sed in infirmitate mentis perduravit.

signo crucis uxorẽm præsiti de vita periclitantem reddidit incolu- mem,

* Ms L. restringere

* Ms L. addit in

C **14** Alio tempore cum apud Lanchem t familia sancti Gumhari meteret in agro, cogente domina sua, venerat mulier quædam habens filium inter eas, quæ secundis feriis debebant operari; quæ eundem infantulum suum pannis involutum jactavit super manipulum, ut dormiret, et ab eo ad opus recessit. Qui cum dormisset, ingressus coluber os ejus, per guttur delapsus est in interiora. Interea superveniens sanctus Gummarus, reperit infantem sopitum, viditque colubrum ejus faucibus illapsum, et adhuc forinsecus eminere caudam. Tunc athleta Christi festinanter arripiens dolum *u*, quo erat surpatum *x* pallium ejus, perforavit caudam ejus et colubrum extraxit. Et convocans familiam, Quæ est, inquit, mater hujus pueri? Quæ, cum in præsentia timida constitisset, dixit: Quare huc infantem detulisti? Cur non reliquisti eum domi? Gratias age Deo; ecce, quanto ab hoste illum eripuit. Quod vivit, donum Dei est: nam quis tanta possessus morte vivat? Caput et totum pene corpus ventri immererat: vix cauda ex ore

puerum a colubro illæsum servat,

u x

prominebat. Cunctis inde stupentibus, in virga suspendit, et iterum atque iterum videndum obtulit. Cui cum mater diceret, infantulum non esse tutum sine matre, misericordia motus, omnibus suis constituit, ut mulier quæcumque habens lactantem parvulum feria secunda ab omni servitio esset libera.

15 Erat eodem tempore vir quidam Rumoldus, quem superna gratia sua inspiratione repleverat. Hic viciorum temptamenta penitus mortificans, ad virtutum culmina cotidie exurgebat. Non die, non nocte a bono opere vacabat; sed carnem suam jejuniis et vigiliis attenuans orationibus assiduè incumbens. Omnibus igitur virtutum armis præmunitus, ubicumque bonæ conversationis aliquem esse noverat, desiderabat ejus præsentiam, ut cum illo de æterna vita conferret, et sanctæ Scripturæ ferculis pinguesceret. Audiens sancti Gumhari præclaram opinionem, videre illum æstuebat. Famam quoque ejus sanctus Gummarus audiens, non minori desiderio noticiam ejus querebat. Cumque tandem convenissent duo clarissima illius provinciæ Luminaria, non de vanis et caducis rebus habuere sermonem: sed E mutua exhortatione se instruente, jam cælestis vitæ prægustant dulcedinem. Præmonent se, quantæ sint insidiæ dæmonis, quæ arma Deus e contra contulerit; quæ supplicia reprobis, quæ præmia dentur justis: quam brevis sit hæc vita, et quot incurrimus pericula. Revocant ad memoriam et victorias Sanctorum: quis bestiis sit objectus, quis lapidibus obrutus, quis ferro trucidatus, quis igne consumptus. Magna quidem de Euangelis et Apostolorum et Prophetarum dictis proferentes, divinarum Scripturarum aperuerunt fontem et rigabant mentes audientium.

statis temporibus cum S. Rumoldo congregatur,

E

corumque baculi ex aridis mutantur in virides.

y

* an pastoralis?

F

z

aa

16 Cum vero ab invicem separari deberent, diem et locum constituerunt, ut iterum convenirent. Ipso autem die ad locum, qui dicitur Stadeyke *y*, sibi invicem occurrerunt, gestantes uterque virgam aridam, quæ dicitur archadica *. Illic igitur more suo spiritualibus epulis refecti, hunc locum medium itineris elegerunt, quia equali spacio ab utriusque distabat mansione. Placuit illis ex inspiratione divina, ut singulis annis cum tota populorum frequentia in supradicto convenirent loco, cum crucibus et capsulis et Sanctorum pignoribus, Missasque ibi pro communi salute celebrarent *z*. Iis dispositis, uterque jaculatus est virgam, quam gestabant, quæ steterunt in vicinæ quercus stipite; et cum prius fuissent aridæ, in momento reviverunt, floresque et folia protulerunt, sicut multi attestantur *aa*. Hoc certo et manifesto signo Deus declarare voluit, illud sibi placuisse consilium, talemque conventum esse gratissimum.

securus denique ad Dominum migrat.

17 Tandem cum instaret tempus, ut emeritum Athletam a corporali milicia ad coronam Deus evocaret, cepit modica ægritudine fatigari sanctus Gummarus, sensitque diem resolutionis suæ adesse, nec habuit timorem illum omnium timorum, scilicet mortis. Erat enim securus de præmio, sciens, cui se a primæva ætate devoverit, cui huc usque certaverit, quod ad illum tamquam victor transerit ex hoc mundo. Postquam ergo ægritudine correptus in villa sua decubuit, terminavit cursum mortalitatis vitæ quinto Idus Octobris, sanctamque animam

THEOBALDO.

animam per manus Angelorum in supernas transmisit sedes. Fruitur itaque nunc perhenni vita gloriosus confessor Dei Gummarus; lætatur cœlestium Civium contubernio se introductum, gandetque ille sacer Chorus, numerum suum tanto Concive esse adanctum.

ANNOTATA.

a *Et quidem e stirpe Carolidarum, uti aiunt nonnulli, sed omni antiquitatis testimonio destituti.*

b *Milliari circiter uno Lira, nec procul a dextera Nethæ Minoris ripa distantem.*

c *Quod adiit anno 752 tenuitque usque ad annum 768.*

d *Præfectum palatii seu Majorem domus Pippino regi fuisse, Kegelius scribit, nescio, qua de causa: an quia Illustrem Baldericus vocat, quo titulo præfecti palatii S. Gumhari ævo utebantur? Sed illustrem Laicum eum appellasse Baldericus potuit vel ob solam generis claritudinem; neque ita proprius palatii præfectus hic titulus fuit, quin et aliis, uti docet Mabillonius de Re diplomatica lib. 2, cap. 3, fuerit quandoque concessus.*

e *Variis id nomen modis scribitur; eoque appellata etiam fuit SS. Herlindis et Renildis mater. Consule Comment. prævium num. 8. Grimmaram, S. Gumhari uxorem, fuisse Pippini neptem, ac terræ hiatu absorptam narrant; verum de his altum est Theobaldo, licet alia multa ex aliorum relatu non tacuerit, silentium.*

f *Nempe ut adderet sævitæ probrum. Non diu post Carolus Magnus servo, qui latronem exsilio multatum suscepisset, dimidium caput tonderi statuit in capitulari anni 809, uti apud Bouquetum scriptorum Rer. Gall. et Francie. tom. 5, pag. 680 videre est.*

g *Sub annum 762 vel 768. Vide dicta num. 9 et 10 Comment. prævii.*

h *Nethæ duo sunt, alter Major dictus, alter Minor; oritur uterque in Brabantia Campiniacæ confinibus; ac suo quisque alveo Liram usque procurrit: inde vero in eundem alveum confluit, recipiturque a Dilia ad pagum Rumpst primo a Mechlinia lapide.*

i *Malim credere id, in seio Gummaro, factum; uti innuunt ista ad calcem num. seq. Sancti verba: Aufer a servis tuis (Domine) quam ignoranter incurrimus, contumeliam; et forte quidem, cum S. Petri oratorium conderet, uti Wichmannum abbatem Tongerloensem in Brabantia Mariana ex Theobaldo scribere, ait dominus Le Roy.*

k *Ita equidem fert constans et vetus, quæ hodieque viget, indigenarum traditio.*

l *Hæc Theobaldus haud serius seculo XII scripsit: exaruerat quercus illa anno seculi proxime insecti sexagesimo, quo ædes sacra eo, quo steterat loco, fuit eastructa.*

m *Factum sæpissime, ut ejusmodi angelorum apparitiones Sanctorum biographi, ab horum ætate remotiores, ad ornatum potius argumenti, quam ex vero retulerint; unde habentur passim ac merito suspectæ.*

n *Mirum profecto, si tam alta lignorum congeries a seculo VIII ad Theobaldi ætatem usque perduravit.*

o *Eo nomine appellatur in divisione regni Lotharii, anno 870 facta.*

p *Quam S. Gummarus eastruxit, lineam fuis-*

se, Theobaldus in ejusdem Vita Metrica scribit: Verba habes num. XI Commentarii prævii. q Luc. 9, §. 62.

r *D. le Roy in brevi quodam Ms. apud nos servato, cui titulus: Disquisitio Vitæ S. Gumhari, qui Lyrae colitur XI Octobris, sic scribit: Cæterum ad levandam sitim messorum scipione fontem excitasse quoque scribitur, et etiamnum visitur puteus, quem Fontem divi Gumhari appellant, in pendente collis prope fluvium Netham. Unde suspicor, commentum esse hujus fontis miraculum, cujus scaturigo minime miraculosa, sed naturalis apparet. Sed esto, ut illius seu putei seu fontis situs naturalis appareat: estne hinc consecrarium, eum ad Sancti præces non fuisse productum, aut geminari debuisse prodigium?*

s *Marci 4, §. 24.*

t *In Vitis Sanctorum Lovanii in domo Joannis de Westphalia anno 1485 impressis fol. 240 verso legitur Leuchen; qui locus idem videri posset, qui Lechenen, viculus in suburbano Lirensi, de quo D. le Roy in Notitia Marchionatus S. Imperii lib. 2, cap. 16, pag. 151 et seq. Sed terram, quam Giselbertus in Lanchem possederat, abbatia Tongerloensis anno 1186 confirmavit Urbanus III apud Miræum Notitiæ Ecclesiarum Belgii cap. 173: videturque idem viculus, qui Iankom, haud procul Tongerloa situs.*

u *Id est, sicam vel pugionem.*

x *Quid ea vox significet, plane ignoro; nisi, quod verisimile est, legendum sit sirpatum: significat autem sirpare idem, quod alligare vel implicando colligare.*

y *Vide dicta de situ hujus villæ num. 13 Comment. prævii.*

z *Tanto id apparatus factum minus credo: nec vero admodum simile fit, ibi Missas celebratas fuisse, nisi tum temporis illic sacellum exstiterit. Visitur quidem illic sacellum in memoriam occursus utriusque Sancti, sed anno demum 1688 excitatum. Post obitum tamen utriusque Sancti locum illum solenni vicinorum locorum supplicatione in congressus illius memoriam honorari olim consuevisse, satis indicant Manuscripti Lirensis, cui editio Lovaniensis, de qua ad lit. t, consonat, verba isthæc: Quia igitur, fratres, quæcumque scripta sunt, sanctorum hominum exempla imitetur parvitas nostra; ut in eodem loco a cunctis provinciæ incolis per singulos annos conventus fiat.*

aa *Postrema hæc Theobaldi verba, sicut multi attestantur, primum quidem, Theobaldum hoc non nisi ex aliorum relatu memorasse, palam satis ostendunt: dein vero, an satis omnibus ea, qua scribebat, ætate probatum id fuerit, relinquunt in dubio. Vicebat id fere temporis Theodoricus abbas Trudonopolitanus, vir virtute et eruditione insignis, anno 1107 defunctus; nec tamen hujus miraculi, quod S. Gummaro ac S. Rumoldo commune fuisset, in Actis S. Rumoldi vel verbo meminit. Siluit is quidem etiam S. Rumoldi cum S. Gummaro congressum, quod facere absque rerum a S. Rumoldo præclare gestarum notabili dispendio potuit. Aliter vero censendum de scipione S. Rumoldi ex arido in viridem repente converso: Theodoricum enim, qui tom. I Julii de Rumoldo ita scribit: Præterea de inserendis arboribus et sitivis earum, non ignobile illud recordamur miraculum.*

A miraculum. Quidquid enim ejusmodi seminum sanctissima ejus manus sparsisset, cum incremento caelestis donum comitabatur (*sed absque miraculo*) efficaciae..... Fagineam hoc negotio nutriverat silvulam, sub quarum plerumque recubans tegmine meditabatur harmoniam Davidicæ melodiam. Ad nostra usque tempora una harum perdurat arborum, *miraculum tam insigne, argumentoque, quod eo loci tractabat, tam affine, si id cognitum habuisset, vel sufficienti traditione suffultum credidisset, silentio præteriturum fuisse, vix inducar, ut credam. Retulit id quidem Belgicus S. Rumoldi biographus, a Domynio Latine redditus, sed recentior, et, ut verosimillimum apparet, ex Theobaldo.*

CAPUT II.

S. Gummari sepultura, translatio,
et quedam post ejus obitum patrata miracula.

S. Gummari, in Emblehem sepulti, corpus

Convenerat ad exequias sancti Gummari multa amicorum et affinium multitudo, quibus pari consensu placuit, sanctas reliquias in supradicta villa Emblehem recondere, ut ibidem sepulturam haberet, ubi natus fuerat et nutritus. Sed [alia] erat divina voluntas Dei, quod mox, ipso revelante, innotuit a. Nam, quiescente quadam sanctimoniali, nomine Wrachttilt, in oratorio sancti Petri, quod, jubente angelo, sanctus Gummarus exstruxerat, talis ad eam divinitus vox facta est: Transferantur beati Viri reliquiae de loco, ubi sepultæ sunt b, et recondantur in illa, quam ipse construxit, ecclesia: hanc divinam jussionem omnibus revelabis, ut eam omni devotione maturent perficere. Evigilans illa cepit in secretario cordis visionem revolvere, dubitans, an fidem auditis adhiberet; an potius ludibrium somni fuisse crederet. Num, inquit, talem visionem audeam cuiquam revelare? Quis enim credet asserenti? Deridebunt omnes aniculum, fantasiis delusam; aut dicent, fragmenta me composuisse feminea deliratione.

nata divino

19 Melius itaque est silere, quam verba deliramentis similia proferre. Secunda vice ammonita siluit, trinam ammonitionem expectans, ut constanti voce mandata summæ Trinitatis astrueret. Tertia autem nocte sanctus Gummarus visus est ei assistere quiescenti, in tali sermone: cur negligenter agis? Cur adusque hanc horam siluisti? Tandem acquiesce, tandem acquiesce, surge et jussionem divinam cunctis loci illius incolis effare, ut reliquias meas inde sublatas apud Ledonem reponant: et ut te a nobis missum certius cognoscant, hoc signum meæ præsentia in facie tua aspiciant. Et hoc dicens, posuit manum dexteram supra faciem ejus; cuius tactu caro in candorem conversa; palmæ autem et digitorum vestigia manifesta retinuit. Ecce, si verbis, inquit, non credant, tamen signo acquiescant. Mane facta, surgens mulier, presbyterum cum omnibus, qui aderant, inco-

lis convocavit c, trinam mandatum apparuit *, signumque impressum sibi ostendit; et ne moram præcepti ageret, constanter ammonuit. Nullus autem fantasiis deputare ausus erat, quia tertia ammonitione repetitum; signo quoque manifesto videbatur confirmatum.

20 Venerunt igitur ad locum, ubi humatæ erant sanctæ reliquiae, quas, aperto sepulchro, conati sunt elevare; sed neque plastro, neque equis, vel navi, neque ullo vehiculorum genere potuerunt eas amovere. Stupentibus vero cunctis, advenit custos pecorum sancti Gummari, qui in ecclesia, quam ipse construxerat, cooperatore ejus fuerat. Hic primo conatu levavit a sepulchro sanctissimam glebam: usque ad amnem ubi subvectum erat, parata navicula deportavit. Suscipiens igitur navis sacratissimum pondus, remota ultro a ripa, cursu velocissimo properavit sine remigis officio, se evidenti cum miraculo: videbant enim navim velociter currentem, sed in ea gubernatorem nullum d. Postquam vero in ripa præfate villæ cursum fixit sacra illa sarcina, humeris portantium in ecclesiam suam subvecta est, ibique cum magna reverentia sepulta annis xl quiescit e. Postquam vero ædificatum est monasterium f, quod illic cernitur, in illud elevatus est honorifice et sublimatus. Ibi quoque usque in hodiernum diem multa mirabilia per servum suum operatur Dominus noster Jhesus Christus. Ægris sanitatem restituit, freneticos ad sensum reducit, claudis gressum reparat, surdis auditum. Cæcis visum renovat, linguas mutorum reserat. Ipsas quoque animas a suis languoribus purgat. Certum quippe est, quicumque fideliter invocavit sanctum Gummarum, sentit eum in omni necessitate propiciam. Unde quia divinitus talem suscepit thesaurum, merito exultat loci illius plebecula laudes illi et gratias offerens, qui vivit in secula Deus.

21 Si quis hæc pauca de vita et conversatione sancti Gummari diligenter intendat, habet, quod miretur: quia litterarum rudis attigit ad culmen perfectionis. Quanta in eo mansuetudo fuit! Quam sancta simplicitas! Quam placitus Deo in fide et in omni opere! Quis dubitet, eum disciplina sancti Spiritus eruditum? Quis dubitet, eum Deo vixisse, in Deo quoque vitam finisse? Hoc testantur præclara miracula, quæ frequenter apud tumulum ejus in salute multimoda ostenduntur. Pleraque ratione * fidelium didicimus: pleraque nostris temporibus facta cognovimus. Sed de præcedentibus dubitare nefas est, quorum fidem recentia veraciter astruunt.

22 Fuit quondam bonæ memoriæ mulier quædam, quæ famam virtutum sancti Gummari audiens cepit secum cogitare, ut ad sepulchrum ejus tenderet, et orationibus ejus se commendaret. Erat de provincia, quæ dicitur Brachbant, de villa Nutueci g nuncupata. Venit ergo ad oratorium sancti Petri, ubi ejus reliquiae; et cum introisset orationis causa, cogitabat secum partem hereditatis suæ sancto Gummaro tradere pro sua suorumque sospitate. Et, adductis testibus, cum accepisset wantam h, ut super altare, solito tradicionis more i, deponeret, nequaquam inde manum retrahere valuit. Wantam excutere volebat; sed non potuit. Wantam secum excutere et auferre conata est; sed nequivit. Omnes, qui aderant tradicioni

A. THEOBALDO.
c
*l. aperuit

Liram transportur elevaturque; dein de vero Sanctus

d

E

e

f

miraculis inclarescit, e quibus recentior auctor,

F

relatione

prodigiosam mulieris peccato obnoxia conversionem,

g

h i

ni

A. THEOBALDO. ni, facta sunt testes miræ virtutis. Obstupebant omnes, sed mulier præ omnibus. At illa divinitus inspirata rediit in se: iniquitatem recognovit, et peccato se obligatam esse expavit. Tunc partem, quam sibi retinuerat, priori adjuvit, et sancto Gummaro totam possessionem tradidit. Insuper, abjecto peplo, comam capitis sui arripiens *k* sese in ancillam ipsi mancipavit, dedit se et redemit se. Sanctus autem Gummarus solvit eam a vinculis corporis, postquam habuit totam sui juris. Et illa postmodum in fide magis solidata fuit, et in terrenis bonis copiosissime habundavit.

S. Petri templum

23 Quodam tempore, cum excrevisset peccata hominum, et superno iudicio correptionis flagella meruissent, a Deo educta a sedibus suis gens Northmannica, gens ferocissima, quæ navigio in Rhenensem provinciam advecta circumquaque omnia depopulati sunt. Hantverpiam incenderunt *l*, Walchram vastarunt: adeo alii dispersi sunt, ut nullus esset locus, ubi cessaret luctus. Per fluvium igitur, qui dicitur Schinda *m*, ad villam Turninum devenerunt, ubi erat monasterium sancti Fredegandi confessoris *n*. Sed Deus propter iniquitatem inhabitantium exosus locum, reliquias ipsius jussit alio transportari, ut nullum esset obstaculum contra desolationem. Quibus sublatis, velut muro et turribus civitatis destructis, irruit gens inimica et incendio pereunt cuncta ædificia; ipsumque monasterium consumpsit, homines partim trucidavit, partim captivos abduxit. Neque domus superfuit, neque habitator evasit. Nichil nisi solitudo remansit. Ergo Northmanni inde transmeantes post fluvium, qui vocatur Thile *o*, apud Machlinas ecclesiam sancti Rumboldi succenderunt.

adversus Northmannos mirabiliter defensus.

24 Digressi inde per alveum Nitæ, ad sanctum Gummarum ferocitatis suæ direxerunt cursum: sed illic pugnavit sancti Viri meritum contra sævitiam hostium. Ignem jactaverunt ad fastigium monasterii; sed repulsus et emortuus elanguit. Vim virtutis suæ oblitus est ignis, ut domus sancti Gumhari maneret incolumis. Sed quantum amittebat ignis de virtute sua, tantum incendebantur amplius inimicorum corda. Nam templum ingressi sunt, ut manu propria fierent noxii: quia ignis non obtemperabat eorum furori. Interim beatæ memoriæ Fredegerus *p* presbyter infulatus *q* assistebat *, offerens sacrificium Dominici corporis et sanguinis pro sua et aliorum salute. Nam cum audiret adventum ferocissimæ gentis ait: cruentas horum manus non fugio: in manu Dei est anima mea. Si placet illi, ut vivam, quis vitam meam tollet? Dum vixi, tibi, sancte Gummare, vitam impendi. Si locum istum, te permitte, tollunt, me simul perdant: me cadens domus ista involvat trabibus suis et parietibus sepulchrum mihi faciat. Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo quoniam elegi eam *r*. Hæc dicens vestimenta sacerdotalia induens ad Misam processit. Cumque summæ Majestati mactaret sacrificium, mactatus est ipse Deo in holocaustum. Ingressi enim, ut prædictum est, irruerunt in eum et crudeliter peremerunt. Cecidit igitur super altare victima suavissimi odoris Domino, et felix quievit in somno. Sic honoravit servum suum sanctus Gummarus; hoc illi præmium reddidit, quod ad martyrii eum coronam proveheret, et perpetuæ gloriæ consortem haberet. Sed divina ultio graviter

p
q
* adde ex Ms.
Lir. altari

reos consumpsit. Nam cum universa, quæ raperant, ligatis etiam cum sanctimonialibus detulissent ad navim, duo reges, qui aderant, percussi sunt: alter eorum Reolfus, alter vocabatur Reginarius: sed Reolfus, cum ventrem purgaret, omnia intestina per secessum emisit: Reginarius autem oculorum lumine privatus, graviorem morte mortis pœnam sustinuit *s*. Habens enim quod semper plangeret; portans in se, quod semper deferret, ipse testis reatus sui fit, præco majestatis Dei, ne quis loca sacra temerare audeat, vel mittere manum in sanctum Dei præsumat.

25 Est autem aliud, quod diebus nostris Deus ostendit. Illum, de quo nunc locutus sum, viderunt multi in villa sancti Gumhari manentem, et devotissime illi servientem. Unde loqui fideliter audeo, quod affirmare fideles audivi personas. Erat juvenis quidam Gerolfus nomine, qui a primo nativitatibus die et auditu caruerat et loquela: erat autem, ingenus parentibus oriundus, de vico Tornicensi *t*, qui, cum hac debilitate ad juventutem processisset, dispoens Deo, ingressus est navim et applicuit nostræ viciniae, tandem ad villam sancti Gumhari pervenit. Illic cum oratorium frequentaret, et sedulus in monasterio esset, aquam deferens et pavementum purgans, respexit operarium suum sanctum Gummarum, et laboris sui gratissimam illi mercedem restituit. Nam aures ejus diu clausas aperuit; linguam quoque diu ligatam resolvit, ut clare audiret et discrete responderet. Auditum est illud miraculum ab incolis, et fit concursus in ecclesiam omnis sexus et ætatis. Accedunt, aspi-ciunt, colloquantur, et audiunt. Gracias Deo omnes clamant; gracias Deo iterum pronunciant. Prima autem muti illius vox fuit, qua sancti Gumhari nomen protulit. Hanc semel, hanc secundo, hanc tertio edidit. Adeo autem loci illius habitationem dilexit, ut nec parentes, nec patriam vellet revisere; sed serviret fideliter, a quo mirabilem illam acceperat servicii mercedem.

26 Multo plures virtutes per sanctum Gummarum claruisse certum est; sed scriptis commendatæ non sunt. Nec licet cuiquam dubitare quippiam difficile esse in cælo commoranti et cum Deo viventi. Et, si cessavit miracula operari, ideo, certe fit, quia rari sunt, qui fideliter petant, devote querant, perseveranter pulsent. Imploremus ergo misericordiam summi iudicis, quæramus nota suffragia hujus clementissimi confessoris, quatenus interioris hominis sospitatem et æternæ vitæ consortium impetret nobis a Deo et Domino nostro Jhesu Christo, cui est honor in secula seculorum. Amen *u*.

Nescio, cujus additamentum.

F

ANNOTATA.

a Si mox S. Gumhari corpus Liram transferri Deus voluit, qui annis 40 prius Emblehemi, quam Liram deferretur, quievit, prout ejus biographi vernaculi tradunt?

b Nempe ex Emblehem, ubi mox ab obitu sepultum fuisse Theobaldus dixit: Baldericus quidem in monasterio canonicorum ab se condito sepultum ait; verum illi sermo est, non de loco, quo primum tumulatus fuit, et in quo brevi admodum temporis spatio jacuisse videtur, sed de eo, quo ea, qua scribebat, ætate jacebat.

c Editio

A c *Editio Lovaniensis sic habet*: Mane facto, surgens mulier presbyterum cum omnibus, qui aderant in collegio, convocavit.

d *Nihil hic miraculi agnoscit D. Le Roy in Mss. ad Vitam S. Gummari Animadversionibus penes nos exstantibus*. Secundo quippe, inquit, rectoque alveo (scapha) vehebatur. Verum æstui marino Netha hodieque cedit: quid si igitur Emblehemum usque seculo VIII ille se extenderit, perque retroeuntes Nethæ undas, atque adeo adverso flumine scapha sine remis, sine rectore delata Liram fuerit, atque isthæc, frustra illam retro trudente æstus accessu, sponte substiterit?

e *Non in Emblehem, ut ejus biographi vernaculi tradunt, sed Liræ in oratorio a se constructo; cui post annos ab ejus translatione circiter 40 suffectum est aliud, quod, inquit paulo post Theobaldus, illic adhuc cernitur.*

f *Si annis 40 circiter post S. Gummari Liram translationem conditum illic monasterium est, quomodo id a S. Gummaro factum Baldericus scribit? At Baldericus de instituto a S. Gummaro canonicorum cætu locutus est: Theobaldus vero monasterii nomine novum SS. Petri et Pauli sacellum intellectum voluit, id quod num. XI Comment. prævii ostensum est.*

g *Locus est mihi non notus.*

h *Id est, chirothecam.*

i *Prisci hujus moris exempla plura videsis apud Cangium.*

k *Capillorum tonsio servitutis olim symbolum fuit.*

l *Verosimiliter circa annum 836.*

m *Hodieque Turninum pagum prope Antverpiam alluit, indeque progressus Antverpiæ in Scaldim devolvitur: minoribus eo navigiis Normanni appulsi fuerint, aut Scinda capaciore, quam modo, fluxerit alveo.*

n *Relatus est in Opus nostrum ad diem XVII Julii.*

o *Nunc vocatur Dilia; conjungitur Nethæ ad pagum Rumpst, indeque vocari incipit Rumpela.*

p *Meminit illius Molanus in Natalibus SS. Belgii ad diem XI Octobris, ubi de S. Gummaro: non tamen in Præfatione sua, ubi inter diocesis Antverpiensis Sanctos Gummarum, omisso Fredegero, recenset. Retulit igitur Fredegerum ad eorum classem, qui, etsi natalem in nulla ecclesia haberent, merito tamen inter Beatos numerantur.*

q *Seu vestimentis sacerdotatibus indutus.*

r *Psalm. 131, § 14.*

s *Videsis de his dicte num. 16 Commentarii prævii.*

t *Liram inter et Tongerloam non procul a Netha Majori occurrit via quedam, dicta Doornikstraete, quem tractum hic vici Tornicensis nomine indicari, existimo.*

u *Additamentum videtur: non enim exstat in editione Lovaniensi, pugnatque præterea cum iis, quæ num. 20 Theobaldus asserit; hic facere miracula S. Gummarum cessat: illic autem, seu num. 20, in hodiernum diem multa mirabilia per Servum suum operari Dominus, dicitur.*

A. Анонимо.

MIRACULA

S. GUMMARI,

SUB ANNUM 1475 PATRATA,

Auct. anonymo subæquali,

Ex Ms. Corsendoncano.

PROLOGUS.

Benedictus Deus in donis suis et mirabilis in Sanctis suis, nobis, in quos fines seculorum devenerunt, nova prodigia miraque portenta per sanctum nominis * confessorem Gummarum circa annos Domini mille quadringentos septuaginta in diversis utriusque sexus personis, per longa terrarum spatia ad oppidum Lyrense Renensis provincie confluentibus, cæteratim pariter et devote, varios languores ac diversa morborum genera curando, sua ex ineffabili atque immensa clementia ostendit, ut, si omnino vitæ vel gestorum ejus scripta deessent, ad prædicanda meritorum ipsius insignia hæc pluralitas miraculorum utique sufficeret. De quibus inauditis, divina gratia annuente, ad ipsius laudem nec non et beatissimi Confessoris honorem aliqua, mentes hominum maxime in admirationem moventia, brevis sub stylo redigere curabimus, quorum patratorum occasio hujusmodi fuisse perhibetur.

2 Nam cum rectores ecclesie S. Gummari cernerent, eam multis ac diversis gravatam debitis ob ipsius ampliationem ac dilatationem, creditoribusque suis non posse satisfacere, tractaverunt inter se dicentes: Quid faciemus? Unde nobis tanta denariorum copia, uti ad competentem ædificiorum ecclesie nostræ structuram et congruentem creditorum satisfactionem sufficere possit? Nonne cernere est, charitatem multorum obriguisset, et paupertatem undique crevisse, ut vix unus denarius ad ecclesie hujus fabricam præstetur? Consulite igitur, quid facto opus sit. Respondit unus eorum, et dixit: Scitis, curtim unam in parochia de Broechem a ecclesie nostræ de patrimonio S. Gummari provenisse: vendamus igitur eam, ut de pretio inde nobis proventuro creditoribus nostris satisfacere, et fabricam ecclesie nostræ ampliare possimus. Quid plura? Fit consensus multorum, laudantium et approbantium, tam sanum, ut videbatur, consilium.

3 Mox igitur in tali loco consueto tribus festivis diebus proclamatur præfata curtis venalis, quatenus majus pretium præstaturus ipsam recipiat in suam. Audi denique miraculum. Convenerunt itaque quadam die ab abbate et conventu monasterii S. Michaelis Antverpiensis directi una cum rectoribus præfate fabricæ, investigantes, quonam modo illius curtis inheritance obtinere valerent. Ipsi igitur circa

Auctor Miraculorum, sub annum 1470
* suppl. fui

S. Gummari intercessionem patratorum,

F

occasione exponit.

hanc

A. ADONIZO. hanc materiam occupatis, pulsantur interea campanæ, fit concursus populorum ad ecclesiam confluentium, clamantium ac dicentium: Benedictus Deus, benedictus Deus! siquidem primum miraculum, quod hic subscribitur, tunc recenter contigisse memoratur, propter quod stupefacti tractatores præfati, ac tam novum prodigium cernentes, absque pacti confirmatione ab invicem discesserunt, cognoscentes, S. Gummarum non sine causa et mysterio hoc egisse miraculum: quod utique rei gestæ permaxime declarat inventus; cum per eundem Sanctum eodem tempore ac deinceps innumera miracula coruscare noscantur. Quapropter ecclesie B. Gumhari multa simul et magna donaria proveniunt, quibus non solum creditoribus suis satisfacere, verum etiam egregie ac magnifice valeant edificare, qui præsentem eidem. Horum igitur miraculorum innumerabilium quædam hic annotasse sufficiat, ut per hæc et alia cognoscantur, et Deus in Sancto suo, tædio ablato, quod multitudo parit, glorificetur.

ANNOTATUM.

B a In diocesi Antverpiensi et decanatu Lirano.

CAPUT I.

Miraculorum pars prima.

A Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto in die sanctissimæ Pentecostes quidam honestus vir ac discretus, nomine Nychaleus, cognomento Struyssens, moram trahens pro tunc in oppidulo Flandrensi noviter constructo, Middelborch vocato a, longo tempore membrorum solatio destitutus erat adeo, ut absque apodiamentis sibi minime quiret auxiliari. Hic ob spem recuperandæ salutis limina beati Gumhari confessoris Christi in ecclesia collegiata, ipsius nomine quoque consecrata, quiescentis, adiit et orationem coram reliquiis sacris, plurimis fide dignis civitatis Lirensis personis presentibus et eventum rei præstolantibus, suppliciter effundens, alterationem suæ naturæ ex occulta Dei dispositione et B. Gumhari intercessione sentiens, et attonitus ac stupefactus, ignorans, quid sibi acciderit, sanus et incolumis effectus, gratias non minimas Deo et sanctissimo Confessori referens, sospes et incolumis ad propria est reversus. Anno, quo supra, ultima die Maii quædam juvenula demoniaca Elyzabeth de Oelen, quatuor annis membrorum solatio destituta adeo, ut sine baculorum sustentaculo incedere non valeret, etiam visitans sanctissimi confessoris Christi Gumhari ecclesiam ac devotam illic orationem effundens, subito sanitatem reparavit; Deumque ac beatum Confessorem ejus magnifice collaudans, incolumis, baculis, quibus prius sustentabatur, in præfata ecclesia relictis, domum repedavit.

tres, surdus.

5 Eadem die, qua supra, quædam mulier ab annis pluribus contracta, suarumque virium robore privata, beatum Gummarum cum hostiarum immolatione in eadem ecclesia visi-

tans, et orationum suarum preces humiliter eidem offerens, subito, cunctis rite peractis obtentu Confessoris Christi sanctissimi restituta est sanitati, ut saccum siligine plenum, quem S. Gummaro pro gratiarum actione offerret, suis humeris impositum ad præfatum ecclesiam, pluribus intuentibus, deferret. Præterea hac ultima die Maii adolescens quidam viginti annorum, dictus Andreas Minten, sedecim annis sospitate membrorum suorum frustratus, ut, nisi aliorum adminiculo suffultus, incedere minime valeret, cum aspiceret tot ac tanta diversarum curarum * genera, preces supplices in præfata basilica coram beati Confessoris reliquiis toto cordis affectu ingeminans, optatam meritis sanctissimi confessoris Gumhari recepit sanitatem. Dehinc sequenti die ejusdem anni, videlicet prima Julii quidam honestus vir dæmoniacus, Jacobus Rumoldi, oppidanus Lirensis, auditu aurium non mediocriter privatus, precibus devotis imploravit auxilium sanctissimi confessoris Christi Gumhari, et confestim usui pristino sibi redditus est auditus.

6 Secunda die mensis Junii ejusdem anni adolescens quidam quindecim annorum, claudus existens, et a parentibus de villa Contik b delatus ad reliquias S. Gumhari gratia percipiendæ sanitatis, qui, pede ad palmam manus altero breviori nimirum, cespitabat, et idcirco recte gradiendi officio frustratus erat. Pro hoc igitur oratione a cunctis devote magnoque affectu cordis Deo ac beatissimo Gummaro effusa, nec non et hostiarum oblatione soluta, incunctanter pedi claudio alteroque breviori prolongatio additur, et, cunctis fidei eventum rei exspectantibus, adolescens sanus et incolumis resiliit, et Deus in Sancto suo illico gloriosus existit. Præterea quinto die Junii constat, quamdam honestam matronam, nomine Margaretam, de villagio, vulgariter Vreemde nuncupato c, omnibus suis membris contractam curru ad ecclesiam sæpe dicti Confessoris evectam et a pluribus coram sacris ejusdem reliquiis delatam, orationibus devotis pro ea cum hostiarum sacrificiis humiliter fusis, meritis B. Gumhari sanitatem membrorum suorum integre adeptam, domum sine cujusquam sublevamine repetentem *. Eodem die quidam civis Daventriensis d, dictus Nicolaus Janssen, decem annis crurum execrabilibus languoribus fatigatus, qui facultatem bonorum suorum in medicos expenderat satis abundanter, nullam tamen medelam pensaverat; imo ipsorum magis decisionem expectabat de die in diem. Hic, percepta creberrimorum miraculorum fama, meritis beatissimi confessoris Gumhari spem firmam concipiens sanitatis, ac de misericordia Dei confidens, cum labore expensisque non modicis basilicam ejusdem visitavit, nec non fontem, quem S. Gummarus, divina virtute fultus tamquam insigne prodigium de terra ebullire fecit, adiens, crura sura cum ejusdem aqua ablens et perfundens, sospitatem diu concupitam magno cum gaudio adeptus, magnificeque Deum in Confessore suo glorificans, lætus ad propria remeavit.

7 Anno, quo supra, decima die mensis ejusdem Junii mancus quidam fuit Bruxellæ, dictus Joannes Hugens, qui quatuordecim fere annis apodiamentis baculorum gressus suos dirigens, altero crurum ejus breviori existente, reliquo uno pede foetidissimus nihilominus habens

curatorium

E claudus, mulier contracta, laborans cruribus,

F repetisse

bens

A bens fistulas undecim, aspectui intuentium propter fetorem continuum et saniem exinde prorumpentem abominabiles, omni medicorum, in quos magnam facultatis suæ substantiam expenderat, industria cessante, quod multorum discretorem notitiam non latuit, nec non fere omnium civium Bruxellensium utriusque sexus, a quibus sæpius pro vitæ suæ necessariis alimoniam expetierat. Hic itaque antedictus Johannes decisionem languidi cruris dietim præstolans atque formidans, mirabili atque laudabili tantorum signorum et prodigiorum B. Gummari rumore a diversis personis percepto, confisus in Domino et spem suam in B. Confessoris subsidio constituens, iter ad visitandum basilicam ejusdem confessoris Gummari in sæpedicta civitate Lyrensi non sine magno labore arripuit, sanitatem ac restorationem suæ valetudinis ab eo sperans.

claudus.

8 Quid multis immeret? Intransi denique illi ecclesiam, et orationem supplicibus suspiriis Deo coram S. Gummari reliquiis ingeminanti confessionemque suorum peccaminum secundum Apostolicum præceptum facienti, nec non communionem sacrosancti corporis et sanguinis Domini Christi sumentis accidit quiddam mirabile et inauditum, plurimis fide dignis in eadem ecclesia præsentibus. Nam, eo adhuc in oratione persistente, panni fasciales, quibus languidum membrum fuerat involutum, miraculose disrupti sunt, et ipse integram firmamque, breviori crure ad æqualitatem alterius distento, nec non omnibus plagis sopitis, virtute divina et meritis haud dubium beatissimi confessoris Gummari adeptus est sanitatem. Fit itaque tam spiritualium quam popularium concursus ad tam novum et insolitum prodigium, spirituales odas una cum sanato consona voce omnipotenti Deo, nominisque sui confessori Gummario depromentium. O quam incomprehensibilis misericordia Dei, et quam stupenda ejus magnificentia, per quem in Sancto suo tanta clarescunt miracula, cujus nomen sit benedictum in secula. Amen.

puer, cujus caput humero erat annexum: hydrops:

9 Eodem die, quo supra, contigit, quod quidam Mechliniensis, dictus Quirinus van Gaveren, filium suum, cujus caput humeris adhererebat, nec illud quoquo modo erigere valebat, ad ecclesiam S. Gummari adduceret, ob recuperandæ valetudinis spem et fiduciam. Qui quidem juvenis, in via cum genitore suo moram faciens, asseruit sublevaminis aliquale sentimentum se habere, ac tandem una cum patre genibus procumbens coram capsâ reliquiarum B. Gummari, oblatione cum orationibus præviis debite persoluta, caput recepit diu optatæ incolumitati restitutum, acsi nullam antea sensisset jacturam. Gratias itaque quamplurimas Deo et beato referentes nominis sui confessori Gummario ad propria hilariter sunt reversi. Ceterum anno, quo supra, die decima quarta mensis Junii quidam Walterus Struyne van Hove ad S. Laurentium e, hydropticus multo tempore, genitalibus ad unius capitis magnitudinem intumescens, visitans devote cum precibus et blada ad sui corporis gravitatem offerens, in ejus basilica adeptus est ipsius interventu celerem liberationem, domumque cum multa gratiarum actione sospes est regressus.

10 Quinta die Julii ejusdem anni mulier quædam Mechliniensis, Barbara nomine, gestans in cruribus viginti duas fistulas, vovens

Octobris Tomus V.

que limina beatissimi confessoris Christi visitare, subsidium mox persensit, nec tamen votum persolvit. Verum quia scriptum est, "Vovete et reddite", cum tutum non sit promittere Sanctis et non satisfacere, tantis rursus cepit molestari doloribus, livoribus et pœnis, ut usum gradiendi, quo non antea caruerat, penitus amitteret. His denique attentis, omnium celeritate nec non devotis precibus debitum votum persolvere festinavit, et, plagis fistularum fonte sanctissimi Gummari ablutis, valetudinem, quam magno concupierat desiderio, consecuta est. Ceterum septima die Julii ejusdem anni vir quidam, nomine Henricus Verhaghe, filium habens septem annorum, qui prunellum una cum lapide deglutierat, ac per hoc quasi semimortuus in terram corruerat, perplexus nimirum pater et attonitus, hoc infortunio viso, vovit, una cum filio ac tota familia domus suæ basilicam se Confessoris antedicti visitaturum, et statim post votum prunellum per guttur pueruli exiit, ac sanus effectus est. Dehinc impleta sunt, quæ promissa fuerant a patre.

A. ANONYMO
mulier fistulis
laborans, puer
pene extinctus.

11 Dehinc ultima die Septembris unum quasi ceteris contigit mirabilis. Nam quidam civitatis Coloniensis emissarius, nomine Godefridus de Dliwa, vocalem arteriam habens obstructam, ut nedum edere, sed nec loqui valeret, potu tantum tenui a festo præterita Nativitatis Domini refocillatus. Tunc enim inciderat in armigeros, qui eum, manibus post tergum restrictis, ac gutture suo arbori cum fune fortiter tribus diebus totidemque noctibus alligato, despoliaverunt, ipso postmodum illam ægritudinem gutturis retinente. Miraculis itaque præclaris sæpedicti Confessoris Christi per omnem circumquaque regionem crebrescentibus, diversis quoque ægritudinibus præsidio et adminiculo beatissimi Gummari curatis, præfatus Godefridus non sine magno affectu per tantarum terrarum spatia acceleravit adire basilicam ejusdem Confessoris in oppido Lirensi, et supplices cum oblationibus et cereo coram sanctis reliquiis, genibus provolutus, preces cordiales depromens, nec non ultro ad ipsius fontem extra prædictum oppidum progrediens, et aliquantulum aquæ deglutiens, subito loquebatur recte, ac usum recepit manducandi. Recessit igitur inde magnificans et glorificans Deum, qui per Sanctum suum tanta mirabilia operari dignatus est.

loquela destitutus.

12 Quidam mercator erat in parochia de Berse prope Oorschot g, cui nomen erat Joannes Godefridi, qui quodam tempore pro mercimonis suis pergens in Frisiam, incidit in latrones inter Zwollas et Davenportiam h. Captus est itaque ab eis, et, oculis obstructis, ad loca incognita perductus, qui ipsum illic tribus hebdomadibus nihil penitus videntem tenerunt, omnia sua diripientes. Tandemque squalori carceris eum mancipantes, ac diversis pœnis eum nihilominus affligentes, magnam summam pecuniarum ab eo extorquere satagebant. Accidit denique, finito tempore trium hebdomadarum, ut is, quamvis antea sæpius miserabiliter atque immaniter punitus fuisset, ex tunc tamen magis exquisite torquebatur*, vinctus super scammum quatuor funibus fortissimis ad quatuor sui corporis partes. Hic igitur captivus in lamentabili constitutus periculo spem firmam

a latronibus

g

h

* torquebatur

A ANONYMO.

constituit in Deo et in confessore ipsius beatissimo Gummario, ob cuius merita plures diversorum morborum languore detenti sospitatem adipiscuntur, ac in periculis constituti spe sua non fraudantur, suppliciter ac devote auxilium supernum pro sua liberatione invocans, ut meritis sanctissimi Confessoris posset manus punientium se evadere, vovensque, vita comite, se post liberationem reliquias præfati Confessoris devote visitaturum.

captus, orbatus oculo,

13 Quod cum mente revolveret, vincula subito sunt disrupta, quibus ligatus erat; quod videntes prædones iniquitate pleni alium funem arripuerunt et pedes ejus circumligaverunt, ac trahentes eum pedibus sursum, capite deorsum suspenderunt: qui quidem funis, sicut priores, disruptus est. Tandem manus ejus a tergo constringentes, grandi saxo ejus pedibus appposito, ipsum per transversum in pertica levantes pertraxerunt, et, ut prius, vincula disrupta sunt. Quod considerantes præfati prædones et causam hujus rei ab ipso cognoscentes, eum liberum abire permiserunt, ducentes illum, præfato modo obtutibus obstructis, ad locum, in quo eum repperant. Qui videlicet Joannes, desiderio suo adepto, votum peregrinationis devote persolvit, immensas Deo ac ejus confessori Gummario referens gratias. Quemdam virum, Joannem Kerman nuncupatum, quem morbillorum diutius languor invaserat ac unum oculorum ejus occupaverat adeo, ut per decem hebdomadas videndi usu caruerit, constat, in præsentia reliquiarum S. Gummari luminis beneficium obtinuisse. Nam præfatus Joannes, oculi officio destitutus, sese devoverat beati Confessoris basilicam cum pondere siliginis, quantæ ipse foret gravedinis, visitaturum; quod cum facere maturasset, usum videndi recepit, ac Deo et sanctissimo Gummario magnificas gratias egit et lætus ad propria remeavit.

infantula apoplectica, sacerdos fistulis laborans,

14 Infantulam quendam trium annorum ex Zelandia, gravi quadam infirmitate, quam phisici apoplexiam nuncupant, uno in latere corporis percussam et omni ejusdem lateris vitali sensificatione destitutam, insuper usu loquendi privatam, quam parentes sui ob ejus incolumitatem recuperandam Deo et Gummario devoverant, ecclesiam ipsius cum orationibus et sacrificiis debitis expetentes, constat meritis ejus fuisse sanata ac loquendi facultatem et usum adeptam. Quare non immerito de tam munifico beneficio gaudentes et admirantes, Deumque ac ejus Confessorem omni cum devotione collaudantes, votis peractis, ovanter domum propriam expedebant. Præterea quidam sacerdos Nivelensis i, Bartholomæus Lamberti denominatus, in uno crure triginta et amplius abhorrendas habens fistulas, quibus nullus medicorum, in quos non modicas pecunias expenderat, curationem impendere valuit, audivit de tanta tamque multiplici miraculorum operatione, quæ meritis B. Gummari continue actitabatur, moxque omni medicorum confidentiæ renuntians et ad verum ac spirituales medicum sese convertens, vovit reliquias sacrosanctas beatissimi Gummari, in ecclesia Lirensi reconditas, se visitaturum, quatenus ob ipsius merita Deus suæ infirmitatis optata dignaretur præstare remedia. Itaque, voto emisso, se sopori dedit, et post hæc, sole, nocte transacta, diem præstante, integram suo livido cruri sensit accessisse sanitatem. Cupiens igitur fideliter perfec-

re quod voverat, omni dilatione semota, basilicam præfati Confessoris cum devotione visitavit præcipua, Deo et B. Gummario laudes cum sacrificiis oblationum offerens, ad propria lætus repedavit.

15 In parochia de Boechout k exstitit quidam, Gerardus Fabri vocatus, cui erat infantulus octodecim mensium, qui ex parentum seu domesticorum incuria quoddam inopinatum incurrit periculum, uti videlicet in vase quodam aqua repleto lapsus submergeretur. Cumque a parentibus undique requireretur, ac tandem in vase suffocatus aquis cerneretur, fit undique luctus omnium et lamentatio cum eculatu magno conquerentium, parvulum tam innocenter occisum propter incuriam custodum. Quid plura? Accurrunt vicini et propinqui puerulum aqua submersum intueri cupientes, et non erat vox, neque sensus. Consilio itaque præstito, extrahitur infans, nullum vitalis animantis signum prætendens, sed facie ad instar nigri panniculi fuscata fere dimidiæ horæ spatio perdurans ab omnibus mortuus judicatur. Quapropter Deum et B. Gummari, per quem Dominus copiosa et inaudita miracula operatur in diversorum morborum et casuum eventu, invocantes præfati parentes, ejusque misericordiam ferventi affectu ac lachrymosis vocibus implorantes, devoverunt ipsum puerulum sanctissimo Gummario, ut ejus interventu extincto infantulo divina pietas subvenire dignaretur, ipsique ab animæ et corporis anxietate liberarentur. Mira res! Denique voto emisso, statim apertis oculis arridet parvulus tristibus parentibus, cunctis familiaribus eorum non sine magno et admirabili gaudio id B. Gummari meritis evenisse, asserentibus. Fit igitur omnibus, prius quidem dolore ac gemitu detentis, tripudium ac lætitia, singulis in voce exultationis et laudationis prorumpentibus, et dicentibus: Gratias tibi Deo, qui humilium et contritorum es consolator, offerimus immensas, qui ob sancti Confessoris tui merita nos consolari dignatus es, et liberare ab ingrui miferia. Tandem præfati parentes sancti Gummari in oppido Lirensi ecclesiam una cum puerulo, in quo perpetratum fuerat tam evidens miraculum, visitantes, suasque preces et oblationes humiliter offerentes, reversi sunt ad proprii domatilis limina, puero incolumitate perseverante non sine cunctorum intuentium stupore et admiratione.

puer submersus, experitur. k

ANNOTATA.

a In Franconatu Brugensi silo, ac eodem seculo xv a Petro Bladelino equite in oppidi formam primum redacto. Aliud ejusdem nominis oppidum in Zelandia visitur.

b Medio fere Mechliniam inter et Antverpiam itinere.

c In decanatu Lirano.

d Daventria Transisulanæ provinciæ oppidum est ad Isalam fluvium.

e In decanatu Antverpiensi Antverpiam inter et Liram.

f Psalm. 75, v. 12.

g Buscoducensis olim diœcesis pagum, a quo ad fluvium Beerze non procul absunt pagi Beerze, Oosterbeerze, Westerbeerze, Middelbeerze: priorem ex his hic significatum puto.

h Utrumque oppidum in Transisalaniam situm est.

A i Nivella Gallo-Brabantiae oppidum est.
k In decanatu Lirano.

CAPUT II.

Miraculorum pars altera.

Mulier morti
proxima, hy-
drops,

Simile pene accidit de muliere quadam ex ci-
vitate Aldenardensi provinciae Flandrensis,
quae dicebatur Barbara van Keye, quae tanta
infirmirate attrita erat, quod nullus in ea vi-
talis motus percipi posset; sed a cunctis ipsam
inspectantibus aestimaretur jam jamque defun-
cta. Qua de re germanus ejus, qui ipsam affe-
ctione fraternali diligebat, sororem suam Deo
et B. Gummaro confessori commendavit ac de-
vovit, deprecans humiliter ac promittens, quod,
si eam vivam et sanam adhuc intueri posset,
ipsam esset cum tanto cerea pondere, quanto

B ille gravis esset, ad limina basilicae S. Gumma-
ri perducturus. Mirum in modum, vix emisso
voto, mulier, quae ab omnibus penitus mortua
putabatur, apertis oculis fratrem suum intuens,
loquebatur et sensim sanabatur. Quam ob rem
sine quavis dilatione suam promissionem adim-
plere cupiens, frater cum sorore anno Domini
millesimo quadringentesimo sexto octavo die
Junii ad templum S. Gumhari apud oppidum Li-
rense cum oblationibus et multiplicibus gratia-
rum actionibus advenere. Quidam insuper hydro-
picus, Henricus van den Sype denominatus ex
Heveren a, villagio sic dicto juxta Mechli-
niam, tota exstitit hydropis mole depressus, ut
sese vix in aliquam partem movere posset. Au-
diens itaque, tanta per S. Gummarum miracula
coruscare, spem suam in Domino ac Gummaro
integraliter reponens, devovit, se quantocius
cum hostiarum oblationibus reliquias ipsius B.
Confessoris visitaturum. Vix autem promissionis
verba finierat, et, ecce, eruribus ejus quasi quodam
cauterio apertis, superfluus humor exitum
petivit per S. Gumhari interventionem, et exin-
de perfectam consecutus est sanitatem. Suum
C itaque votum omni cum devotione adimplens,
ac gratiarum actiones Deo ac sancto ejus Con-
fessori persolvens, ad propria est reversus.

puer calculo
laborans,

17 Praeterea in oppido Hollandiae, nomine
Delft, civis quidam erat, qui dicebatur Theo-
doricus Gerardi, qui habebat filium decem an-
norum dolore calculi lamentabiliter laborantem,
nullumque medicorum peritia subsidium obti-
nentem; omnes quoque intuentes, et praecipue
genitorem in compassionem et gemitum trahen-
tem. Hic denique Theodoricus magna cum de-
votione Deum ac beatissimum ejus confessorem
Gummarum invocans ac deprecans pro reme-
dio liberationis filii sui, devovit praefatum in-
fantulum ad ejusdem Sancti ecclesiam cum ob-
lationibus debitis se delaturum. Igitur, voto
emisso, liberatur eodem die filius ejus, ita ut,
nullo dolore pungente, meatu urinali emitteret
calculum, quantitatem unius lapilli dactyli ha-
bentem. Quare exhilaratus pater cum filio vo-
tum persolvere gestiens, calculum illum, manu
artificis in argento redactum seu inclusum,
in memorabile testimonium tam subitaneae gra-
tiae ad ecclesiam saepedicti Confessoris detulit,
orationibusque suis cum oblationum muneribus

exhibitis, laetus et gaudens, ac Deum in Sancto
sua magnificans ad propria reversus est, calcu-
lo illic relicto in testimonium veritatis. Acta
sunt haec anno Domini millesimo quadringente-
simo septuagesimo sexto, vigesima prima die
mensis Junii.

A. ANONYMO.

18 Item ultima die Maii anni LXXV b mulier ^{dux mulieres}
quaedam novem annis solatio virium et ^{contracts,}
membrorum destituta suorum, officium gradien- ^{clauda,}
di vix sine adminiculo appodialium complens, ^b
orationum suarum vota et oblationum sacrificia
Domino et S. Gummaro ejus confessori humiliter
representans perfectam et stabilem recepit
sanitatem. Simile accidit de alia muliere, quae
denominabatur Barbara Firmans, eodem die,
quae gradiendi usum longo tempore propter
membrorum impotentiam amiserat, devote reli-
quias saepefati S. Gumhari adiens, suasque pre-
ces humiliter offerens, perfectam obtinuit sani-
tatem, et ad propria sine cujuslibet adminiculo,
quo prius non caruerat, cunctis admirantibus,
repedavit. Idem pene accidit de quadam mulie-
re Lirensi eodem die, Heylwigie nomine, simili
modo curata. Alia quadam mulier, quae diceba-
tur Elyzabeth Scuts van de Pulderbossche c,
anno, quo supra, quinto die Junii, quia clauda
erat, in vehiculo delata ad reliquiarum S. Gum-
hari praesentiam, et suas Domino ac beato ejus
Confessori orationes et oblationes offerens, non
est a suo desiderio frustrata, sed membrorum
suorum perfectam obtinuit sanitatem. Quae,
cum se cerneret sospitati redditam, non est in-
grata reperta; sed magnificas Deo et S. Gum-
maro gratias rependens reversa est cum gaudio
ad propria.

E

19 Eodem die, quo supra, de villa Conti-
ke d apparuit mulier, Katharina Sans nuncu-
pata, quae ob erurum suorum execrabilem do-
lorem firmam habens spem in S. Gumhari sub-
ventionem devovit, se cum omni devotione ac
hostiarum oblatione sacratissimam capsulam,
reliquiarum B. Gumhari contentivam, visitatu-
ram; cujus voti non immemor studuit omni
cum celeritate implere quod promiserat. Haec
itaque veniens ante praefatas reliquias, cum
orationes supplices et oblationes suas presenta-
ret, nec tamen aliquam eadem die sublevamen
inde perciperet, nihilominus tamen in Deo et
ejus confessore S. Gummaro spem totam et fi-
duciam reponens, et perseveranter orationibus
continuatis diebus insistens, tandem dehinc
octava die suorum erurum obtinuit curationem.
Quae Deo et B. Gummaro laudes non exiguas
jucundo corde decantans ad propria laetanter
est reversa.

laborans cru-
ribus, d

20 Anno et mense, quo supra, nono die ejus-
dem mensis quidam civis Gandensis, Theodori-
cus nomine, basilicam S. Gumhari devote
adivit, qui longo tempore gravissimo viscerum
suorum dolore anxie laboraverat, et ob nimiam
et continuam doloris impulsionem suorum ope
membrorum caruerat, ut sine appodialibus in-
strumentis incedere non valeret. Hic, inquam,
se Deo ac B. Gummaro cum importunis preci-
bus commendans, et flexis genibus coram san-
ctis reliquiis perseverans, et suimet oblitus
propter inexpectabilem divinae virtutis ac S.
Gumhari gratiam suae naturae variationem sen-
tiens, nimirum quasi in extasi constitutus exi-
steret, attonitus erat et perplexus. Mira res et
stupenda! Denique, cunctis illic praesentibus
et cernentibus, ab oratione sanus et incolu-
mis

corpore lan-
guidus,

A. ANONYMO.

mis exurgens sensit, omnimodam se recepisse suæ infirmitatis sospitatem. Fit itaque populorum clamantium ac Deum laudantium concursus, catervatim gestientium, quæ per S. Gummari merita fiebant mirabilia. Qua de re præfatus Theodoricus miraculum hoc, quod in eo divina operata est gratia, coram venerabilibus dominis et canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Gummari Lirensis ob certissimæ veritatis testimonium, qualiter fuerat, referens, et gratiarum laudes ipsi Domino ac ejus Confessori sanctissimo decantans, ad domum, sanus et suorum membrorum compos effectus, reversus est propriam.

lateris usu destituta, contracta, claudus,

21 Præterea eadem die mulier quædam de villagio, Boome *e* vulgariter nuncupato, quam longus et inevitabilis dolor detinuit adeo, ut præ illius magnitudine ac diuturnitate vigorem lateris unius omnino perdidit, ac sine alterius sublevamine ac baculi sustentamento sese movere minime poterit, quia se cordialiter Deo et S. Gummario deoverat, orationesque ac oblationes suas coram S. Gummari confessoris reliquiis devote obtulerat, pristinae redditæ est sanitati, et non sine magno [gaudio] et multiplici gratiarum actione absque alicujus adminiculo ad propriam domum repedavit, plurimis fide dignis clericis et laicis tantæ rei signum intuentibus. Alteri cuidam mulieri, quæ dicebatur Elyzabeth Berrevoets de Ranst *f*, septem annis per membra contractæ, frequentanti ecclesiastica limina S. Gummari confessoris, suasque preces cum hostiarum muneribus devote eidem offerenti per intercessionem utique beatissimi Confessoris præfati restitutum est perfectum gradiendi officium. Quidam civis Antverpiensis, qui dicebatur Thomas Moerlyn, septem annis debilis pedibus exstitit adeo, ut absque sustentaculis iter agere non valeret. Hic vir Deo ejusque confessori sanctissimo Gummario sese commendans, beatissimam glebam reliquiarum ejus, apud Liram in ecclesia sua quiescentem, toto nisu, quo potuit, visitans, et cordialiter devoteque orationum preces multiplicans, diu optatam adeptus est sanitatem, et non sine multorum, Deum secum collaudantium, admiratione ad propria, sustentaculis in præfata ecclesia relictis, sospes et incolumis repedavit.

membris tumidi tres,

22 Ceterum decima quinta die supra memorati mensis scilicet Junii, matrona quædam Antverpiensis, quæ denominabatur Catharina Hanssens, intolerabiles sustinens dolores uno in brachio adeo, ut præ nimia torsione, propter quam ipsum brachium tumidum reddebatur, mira unius anni spatium illud ad caput erigere minime valeret. Hæc, inquam, matrona magno cum affectu limina S. Gummari adiens, et sese Deo ac ejus confessori Gummario commendans, oblatione cerei brachii cum oratione multiplici peracta, cupitam recepit in plurimorum fide dignorum præsentia sanitatem. Die vero decima sexta ejusdem mensis pene simile contigit viro cuidam Bruxellensi, qui dicebatur Guilhelmus van den Leemputte, quique ob sui cruris tumorem per unius anni spatium claudus incessit. Hic devovens, se basilicam S. confessoris Gummari visitaturum ob spem convalescentiæ, cum iter arripere cum devotione, antequam ad terminum desideratum perveniret, sanitatem integram non sine magna admiratione consecutus est. Nihilominus tamen vo-

tum suum ardentem et cum gratiarum actione ac laude ipsi Deo sanctoque ejus confessori Gummario persolvit. Die vigesima ejusdem mensis quædam de Heyst *g* habens magnum tumorem, quem nullus medicorum sanare poterat, ex cordis intimis se Deo et B. Gummario devovens, ac limina ipsius cum precum instantia visitans, nec non infirmam partem sui ventris de aqua fontis, quem S. Gummarius de terra divina virtute ebullire fecit, humectans, sospitatem integram meritis antedicti Confessoris gavisus est recepisse.

23 Præterea die vigesima prima ejusdem mensis mulier quædam Antverpiensis, quæ denominabatur Margareta van den Dale, contracta, nec non et apoplexia percussa, spem suam de recuperanda sanitate in Deo et beatissimo Gummario defigens, restituta est duplici sanitati, pluribus existentibus testibus, qui hoc viderunt. Quæ quidem mulier magna cum devotione ob gratiarum actiones debitas referendas sæpeditam ecclesiam visitavit, coram omnibus magnum sibi a Deo beneficium per sancti sui Gummari merita collatum manifestans. Porro die vigesima tertia ejusdem mensis Junii quidam vir Antverpiensis, dictus Joannes van den Perre, per tres annos claudicabat in pedibus, qui devote reliquias S. Gummari, apodiamentis sustentatus, in ecclesia sæpe dicta visitans, orationumque preces suppliciter pro incolumitate Deo beatoque Gummario libans, optatam, plurimis illic præsentibus, sanitatem est consecutus, domumque propriam, sustentaculis in ecclesia relictis, lætanter expetivit.

contracta simul et apoplectica, claudus,

24 Dehinc non silentio prætereundum, quod vigesima quarta die ejusdem mensis quidam vir Mechliniensis, dictus Petrus de Scheppere, longo tempore multisque diebus magno dolore cruris propter execrabilem sanie defluentem, quod omni medicorum arte mederi fuerat ineptum, in quos etiam magnam facultatis suæ partem expenderat, [cruciatus] cum de die in diem ipsius cruris præstolaretur abscisionem, magna cum fiducia recuperandæ sanitatis devote limina basilicæ S. Gummari adivit, ibique orationum suarum precibus suppliciter coram reliquiarum ipsius capsula fuis, et eodem crure fonte S. Gummari abluto, et oblatione cum cereo crure illic peracta, restituta est eidem cruri sanitas diu affectata, et ipse cum multa gratiarum actione ad propria est reversus. Eodem die, quo supra, Gregorius Fabri, civis Bruxellensis, multas habens in suis cruribus fistulas, devote reliquias S. Gummari visitavit, qui cordis intentionem Deo et B. Gummario obnixis precibus explicans, voti sui obtinuit de gratia ipsorum intentum, sicque sospitate, præsentibus fide dignis, suscepta, ad propria est reversus laudando Deum et confessorem suum B. Gummaram.

cruribus male affecti duo,

25 Præterea vigesima octava die ejusdem mensis mulier quædam habitatione Bruxellensis, sed natione Insulensis *h*, contracta erat in brachio, quæ propter inexplicabilem, quem sentiebat, dolorem nedum operari, sed nec quidem dormire valebat. Quodam ergo die, cum se sopori dedisset, nec ob nimiam pœnam somnum sumere potuisset, cœpit in stratu suo cogitare, quonam modo, vel quibus mediis suum posset sortiri desiderium, ut a tanta pœna et angustia liberaretur. Venit itaque tandem in mentem ejus, quomodo tot et tanta nostris temporibus

brachio contracta, claudus,

A temporibus per S. Gummari merita clarebant miracula, et qualiter omnes, qui ejus deprecantur auxilium, a suo non fraudatur desiderio. Quae de re mulier praefata totis cordis sui medullis sese Dei ac beati nominis ipsius confessoris Gummari, cum oblatione videlicet unius cerei brachii et argentei denarii, commendavit gratiae, quatenus per eam doloris sui brachii posset accipere sublevamen. Mira res! Vix mulier verba suae sponsonis finierat, et, ecce, quod diu desideraverat, brachii videlicet incolumitatem consecuta est. Benedictus itaque Deus, per quem ob sui confessoris Gummari merita tanta miracula coruscant. Praeterea secunda die Julii quamdam feminam Antverpiensem, cui nomen Catharina Nouts, annis octo pedibus claudam, et sine ligneo adminiculo incedere non valentem, atque ob suorum crurum valetudinem basilicam S. Gummari adeuntem scimus, et veridicorum relatione sui voti compotem fuisse *, quae ex magnifica gratia, sic collata, devota et hilaris effecta, Deum sanctumque Gummaram collaudavit, ac sustentaculo, quo iter agere consueverat, illic in ecclesia relicto, cum gaudio ad propria domatis limina repedavit.

* supple didicimus

claudus.

B 26 Porro, ut paululum retrocedamus, prima die Julii ejusdem anni praenominati quidam Cornelius nuncupatus, de Yспен i oriundus, ob suorum crurum debilitatem magnosque dolores, quibus continue vexabatur, non solum cum apodiamentis, sed etiam cum nola, quemadmodum infecti morbo S. Antonii incedere consueverunt, per vicos et plateas pro sui victus necessariis iter agere solebat. Hic itaque tanta miracula ob S. Gummari merita per diversas provincias coruscantia percipiens, se ex integro cordis affectu ad ipsius Sancti basilicam ob recuperandae sanitatis spem convertit. Insuper tandem cum labore ac suspiriis ad eandem basilicam perveniens prostravit se humiliter in sanctarum reliquiarum praesentia, Deum sanctumque suum Confessorem supplicibus precibus flagitans, ut, per quem tot ac tanti infirmi ac debiles suum consecuti sunt desiderium, ipse non privaretur voto suo, sed propter gloriam Dei augmentandam potiretur beneficio tam optato. Porro mirum in modum prelibatus Cornelius ab oratione, quam ex intimis sui cordis profuderat, sensit se, multis testibus praesentibus, sanatum. Quapropter multiplices Deo et S. Gummario gratiarum referens actiones, apodiamentis suis et nola in testimonium certissimae sanitatis consecuta in ecclesia ejusdem relicta, ad sua laetanter est reversus.

excruentis, membris impotens,

C 27 Praeterea quinta die Julii Aegidius Bliers, civis Bruxellensis, suorum oculorum lumine fere privatus adeo, ut nisi ad manum alterius gressus ejus dirigeretur, viam bene incedendi tenere minime potuisset, cum tantorum mirabilium insignia ob S. Gummari merita rutilare conspexisset, devote suum Deo ac ejus Confessori desiderium explicans, et commendans, ecclesiam S. Gummari se aditum promisit. Voti vero sui compos effectus, statim solus, nullius adjutorio fultus de Thenismonte h ad ecclesiam praefatam pervenit, orationumque suarum libamina, nec non hostiarum munere illic persolvens laeto animo ad propria reversus est. Porro eodem die venit quidam vir Petrus de Pomerie ex villa, quae Themseca l dicitur, tribus annis membrorum suorum minime compos. Hic denique, postquam diversos curacionum exco-

gitasset modos, et quadam nocte lecto decumbens, quid propter nimium dolorem urgentem agendum sibi foret, anxie pertractaret, statim menti ejus incidit rumor de praeclearis B. Gummari miraculis et virtutibus, quibus utriusque sexus hominibus quotidie subveniebatur in diversis regionibus; quae de re ipse haec eadem apud se revolvens spondit, numquam se comesturum carnes, nisi prius reliquias B. Confessoris in urbe Lirensi visitaret, et illic de peccatis suis, propter quae in corporibus languores plerumque generantur, cum debita contritione confessionem faceret. Et ecce miraculum. Vix enim praefatus Petrus verba sponsonis finierat, et, nullo temporis intervallo mediante, convalescentiam est consecutus. Promissionis itaque suae non immemor omni cum festinatione ad ecclesiam S. Gummari pervenit et confessionem suam cum oblationibus debitis, ac orationem supplicem cum gratiarum actionibus faciens, ad destinatum locum, unde exierat, incolumis est reversus.

A. ANONYMO.

E raudi duo, fistulis laborans.

E 28 Die insuper eodem Joannes, cognomento Sien. Diestensis m tribus annis cum apodiamentis gressum faciens ob nervorum suorum contractionem, et quasi tantum retrorsum, quantum antrorsum gradiens, reliquias in ecclesia saepe dicta S. Gummari reconditas spe adipiscendae sospitatis adiit, et supplices preces cum hostiarum oblatione devotius, quo potuit, Deo ac B. ejus confessori Gummario fundens, adeptus est subito diu optatae sospitatis beneficium, et, in testimonium veritatis apodiamentis suis illic relictis, sanus et incolumis ad propria remeavit. Simile per omnia contigit cuidam mulieri Mechliniensi, quae pluribus annis in pedibus impotens, officium gradiendi non recte peragere potuit, nisi fulciretur asterius adminiculo aut baculorum sustentaculo. Quae tandem limina praecleari confessoris Gummari cum recuperandae pristinae potentiae fiducia visitavit, et orationum suarum precibus suppliciter fuis, sanitatem adeptam est optatam. Magnas igitur Deo, ejusque Confessori gratias referens, baculorum instrumentis illic dimissis in tantae rei signum, ad domum propriam sospes et laeta repedavit. Die vero decima quinta Julii quidam civis Bruxellensis, dictus Guilhelmus Erum, diu dolore unius cruris fatigatus, quod quidem obtutibus hominum abominabile fuit ad videndum propter saniam exinde per viginti fistulas erumpentem, fiducialiter agens, ecclesiam S. Gummari adivit. Qui solotenus prostratus in reliquiarum ejus praesentia suas preces effudit, et posthaec de aqua fontis ejus accersiens, crus suum lividum ac dolore fatigatum de ipsa fontali aqua cum magna fiducia lavit. Denique incontinenti meritis praeclearissimi confessoris Dei Gummari obtinuit sanitatem integram, acsi pridem nullum omnino in suo crure sensisset dolorem aut livorem habuisset. Hic itaque laetabundus et laudans ac gratias magnificas Deo referens ad proprii domatis fines remeavit.

P

P 29 Dehinc ejusdem mensis die decima septima quidam vir Antverpiensis, qui dicebatur Adrianus, cognomento de Pleckere, quatuor ferme annis suorum pedum vigore destitutus in tantum, ut nedum illius temporis medio non sine apodiamentis incedens, verum etiam tanto dolore ac languore fatigatus, ut longo tempore omnino decumberet lecto, taedio ex hoc magno afficiebatur. Hic denique tanta morborum genera

ex diuturno pedum dolore

A. ANONYMO. nera curata per merita sanctissimi confessoris Christi Gummari audiens, magna cum fiducia Deum, ut per sui Confessoris interventum suae miseriae condoleret, ac debilitati auxiliaretur, exoravit. Quique tandem omni conamine, quo valuit, spe adipiscendae sanitatis limina basilicae S. Gummari devotus adiit, et illic suam Deo ac ejus Confessori petitionem * in terra prostratus ait : O sanctissime Deus, ego peccator humilis, et multorum criminum meorum conscius, ob quorum magnitudinem et numerositatem tanta debilitate fatigor, tuam invoco clementiam, ut me digneris exaudire in hac hora et per merita praeclearissimi confessoris tui Gummari, per quem tam innumera crebrescunt miracula, mihi peccatori animae salutem et corporis sospitatem praestare digneris.

* supple pandens

lecto affixus,

30 Qui tandem ab oratione consurgens nullam sensit sui desiderii consecutionem; nec tamen ab importunitate precum desistens, tribus diebus orationem suam protelandam dignum aestimavit, quatenus quod unica et simplici obsecratione obtinere non poterant, saltem perseveranter orationem multiplicans, id, quod optabat, consequi posset, audiens Domini pollicitationem in Euangelio : « Qui perseveraverit » usque in finem, hic salvus erit ». Demum tertia die sentiens paululum convalescentiae ad habitationis domicilium est reversus, apodialiibus instrumentis subnixus. Mira res dignissima * ! Nam hic Deo fidelis ejusque Confessori sanctissimo, videlicet Gummaro, beneficii quoque accepti, quamquam parvuli non immemor nec ingratus, sed continue in oratione perdurans, ac Dei misericordiam pulsans, flagitabat obnixis precibus recuperationem pristinae sanitatis. Porro Deus pius et misericors, nolens supplicem oratorem suum fraudare a desiderio suo, per interventum sui sanctissimi Confessoris tribuit illi optatam sanitatem. Itaque praefatus Adrianus de tanto beneficio sibi collato nolens ingratus reperiri, sospes repedavit sine apodiamentis ad antedictam B. Gummari basilicam, magnificas Deo ejusque Confessori referens gratiarum actiones cum oblationum muneribus.

* supple stupore

C 31 Praeterea vigesima die praefati mensis Julii quaedam matrona Bruxellensis, cui nomen erat Elizabeth Tynnens, quadraginta annis incommodum unius cruris sustinens erat pro eo, quod brevius tribus digitis in latitudine extitit, deferens ea de causa sandalia, quorum unum altero tribus digitis praestantius erat in altitudine. Audiens itaque tot et tanta, quae per S. Gummarum quotidie fiunt, miraculorum insignia, devovit, sese ob reparandae salutis, ac removendae tantae incommoditatis auxilium limina sanctissimi Gummari ocius visitaturam. Voto igitur emisso, mox iter aggrediens per merita et intercessionem sanctissimi Gummari melius et rectius solito incedere coepit, et absque longa mora, quidquid voverat, adimplevit, basilicam B. Confessoris reverenter visitans et precum laudes, gratiarumque actiones decantans, ac oblationum munera libans, integram sospitatem se suscepisse gaudebat, in cujus testimonium veritatis unum sandaliorum, quod altius erat, illic relinquens, ad propriam urbem et domum laeta remeavit. Ceterum vigesima tertia Julii puer quidam, natione Bruxellensis, Philippus de Burgundia nuncupatus, diu intensi languoris molestia fatigatus, unius-

clauda, puer languidus et monoculus,

que oculi lumine orbatum, sperando confidenter D una cum matre sua in beatissimi confessoris Christi Gummari patrocinio, ejus reliquias devote omni cum alacritate visitavit, et, orationibus suis coram eisdem fuis cordialiter, atque hostiis ac muneribus ablatis, hilariter, praesentibus pluribus fide dignis, illic retulerunt. quod, postquam in sanctissimi Gummari interventu confidentes sese Domino ac ejus confessori ob recuperandae sanitatis spem devoverunt, statim postmodum puer a gemina infirmitate sanatus sit, obtenta molesti languoris curatione, et luminis restitutione ocularis. Igitur divinorum promissorum non immemores, ne tamquam promissa debita minime solventes increparentur, Deo et ejus Confessori sanctissimo gratiarum actiones magnificas rependerunt.

32 Tandem vigesima quarta die mensis ejusdem quidam honestus civis Mechliniensis, qui dicebatur Aegidius de Palude, basilicam, in qua sanctissime reliquiae praecleari confessoris Christi Gummari reconduntur, devote, ut sponde- rat, visitavit hac de causa, prout illic retulit. Nam gestaverat venam quamdam subcutaneam E per viginti sex annos ruptam et sanguinem evolventem, saepius exinde molestiam non modicam perpepus adeo, ut nec in sedecim hebdomadibus aliquo longe pergere valeret. Audiens itaque praefatus Aegidius pro beatissimum Gummarum tam innumera clarere miracula, tactus devotione cordis intrinsecus, sese Deo ac ejus Confessori commendavit, promittens ejusdem Confessoris ossa sacrata se visitaturum, si vel aliquam saltem sublevaminis gratiam sensu percipere posset. Mira res ! Nam suam vix orationem verbis expresserat, et eadem vena, nullo instrumento aperta, instanti aperta est in ipso sanguinem ad quantitatem unius Walpodi o emittens, quam ipse modico restringens emplastro, integerrimam a tam diu passa molestia sospitatem, haud dubium quin meritis beatissimi Gummari, adeptus est. Sicque, ut voverat, ad praenominatam Sancti basilicam, nulla morula interveniente, cum innumera gratiarum actione sanus et incolumis advenit. Praeterea quinta die mensis Octobris ejusdem anni Dominus Joannes Patribays, prosbyter et curatus in Heripont p, quinque ferme annis claudus pedibus existens, ut non sine baculorum sustentatione incedere valeret, devote limina saepedicti praecleari confessoris Christi Gummari visitavit, qui simplici corde preces coram ejus reliquiis in terram prostratus effundens, suae miserandae debilitatis subsidium expetivit. Et, ecce, mox, ut ad aures pii Patroni devoti sui preces insonuissent, in eodem loco, quod optavit, obtinuit non sine multorum admiratione, ac domum rediit cum gratiarum actione.

venam ruptam gerens, prosbyter claudus.

p

F

33 Haec pauca diversorum signorum ac prodigiorum, quae gloriosus Deus modernis temporibus per beatissimum nominis sui Confessorem, S. videlicet Gummarum, Karoliensium ac Brabantensium germine inclitum ac praeclearum q, manifestare ac quaquaersum dilatare dignatus est, extant quasi granum de massa et quasi stilla de fluvio : tanta sunt etenim, ut nulla mortalium lingua ea digne valeret exprimere, etiamsi Demosthenis facundiam possideret, egregii oratoris; ac tot quotidie augmentantur et accrescunt, ut nemo ea plene dinumerare sufficeret, etiamsi totius Arithmeticae peritiam haberet : tot enim et talia sunt et fuerunt ; ut are-

aliquae quamplures;

nae

A nã maris cœquarentur et copia mensuram excederet r. Denique ut de omnibus et singulis infirmitatibus taceamus, quas impossibile foret hic recensere ac dinumerare, quis vel in uno genere languoris detentos et curatos digne posset explicare, cujus diversitatem nec nomine tenus valeret appellare, nec cordetenus quidem indagare? Putamus enim Avicennæ, Galeni, seu Ypocratis hic cespitare debere physicalem peritiam, si conata fuerit investigare morbidas species, nedum curare, quas Deus omnipotens dignatus est per merita et suffragia dilecti confessoris sui Gummari tam potenter, quam misericorditer ab innumeris utriusque sexus hominibus auferre et sanare.

ficiens est, qui omnia languidorum, claudorum, cœcorum, hydropicorum, febricitantium, herniosorum atque diversorum aliorum languorum molestiis laborantium et gravatorum genera meritis et suffragiis præclarissimi confessoris Christi pristinæ sanitati restitutorum enarrare sufficiat, cum, ut dictum est, innumerabilia sint, nedum inexplicabilia, imo incomprehensibilia? Quorum multipliciter satis explicat continua numerositas adventantium, testimonia suæ sanitatis, pignora videlicet sua, illic relinquentium ad laudem Domini Jesu Christi. Amen.

A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Ad flumen Diliam inter Locanium et Mechliniam.*

b *Legendum forte LXXVI.*

c *Ad Majorem Netham fere Liram inter et Hoogstraeten.*

d *Vide lit. b in Annotatis ad cap. I.*

e *Secundo ab Antverpia lapide ad fluvium Rupelam.*

f *Prope Liram in diœcesi Antverpiensi.*

g *Inter Liram et Arschothum.*

h *In Gallo-Flandria.*

i *Forte Nispen in diœcesi Antverpiensi et decanatu Bergizomensi.*

k *Brabantix oppido ad fluvium Getam, cui etiam Tillæmontis nomen tribuitur.*

l *Ad Scaldim inter Dendermondam et Rupelmondam.*

m *Diethemium Brabantix oppidum est ad fluvium Demeram.*

n *Matth. 10, § 22, et cap. 24, r. 13.*

o *Videtur significari certum sanguinis pondus.*

p *Prope Bronium seu Brenniam-Comitis in Hannonia.*

q *Quod absque idoneo teste asseritur.*

r *Plurima quidem præter hic relata patravit miracula S. Gummari: at eorum numerum hic nimium augeri, nemo non censeat.*

s *Matth. xi, §. 5.*

t *Luc. 17, §. 14.*

u *Hinc colligo, auctorem Miraculis, quæ in litteras misit, ætate fuisse saltem superam.*

quos ad gratitudinem hortatur auctor lege quemlibet

B "renuntiate Joanni, quæ vidistis et audistis. "Cæci vident, leprosi mundantur, claudi ambulat, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur s. " Et item in alio loco: " Ite, ostendite vos sacerdotibus, etc. t. " Ita laus Dei est et voluntas sanctissimi ejus confessoris Gummari, si qui per eum quovis modo curati sunt, quatenus redeant ad ecclesiam S. Gummari Lirensis, in qua S. Joannis antiquitas est patronus constitutus, ille cognomento Baptista et Præcursor Domini Jesu, et dent gloriam Deo cum leproso alienigeno et Samaritano, simul et gratiarum actiones referant præclaro confessori ejus S. Gummaro, recitantes illic, quæ in seipsis experti sunt, et per eum virtute Dei et sui facta fuerint magnalia, ne et ipsi abominabilis ingratitude notentur et arguantur, quemadmodum et alii novem leprosi, qui, postquam cum præfato Samaritano curati sunt, non tamen cum eo redierunt, neque gratias egerunt.

S. Gummari open experti sunt.

C 35 Quod quidem aliqui hactenus benefecerunt, ut scriptum est, quorum etiam relatione hæc miracula ad nostram notitiam pervenerunt u, quæ curavimus hic annotare, quia propositi nostri fuit, per eadem divinam laudem propagare ac Sancti sui nomen dilatare, legentibus quoque devotionem et reverentiam per hæc pauca inculcare. Quis enim tam idoneus et suf-

